Unguentum ex Populi gemmis populeum dictum proſtat in Officinis emolliens adeo ut inter topica in pleuritide dolenti loco applicanda numeratum fuerit a magno quoque Boerrhavio. Tincturam ex iiſdem gemmis elicitam ad Diarrhoeam & Dyſenteriam laudat Tournefortivs a guttis quadraginta ad ſexaginta in juſculo quotidie uſurpatam.

BETULA.

Linn. *Spec. plant.* p. 633.

Flores maſculi & feminei in eadem planta & propriis Amentis cylindraceis; Ac Maſculi quidem calyce proprio monophyllo, ſtaminifero: ſtaminibus quatuor. Feminei vero nudi; germine unico; ſtylis duobus, & ſemine nudo donati.

1. Betula foliis ovatis acuminatis ſerratis. Linn. *H. Cliff.* p. 442. *Fl. Svec.* 776. *Spec. plant.* p. 982. Royen. *Lugdb.* p. 85. Hall. *Helv.* p. 158. Gmelin. *Sibir.* 1. p. 166. Boehm. *Lipſ.* 683.
Carniol. *Breiſa. Breſia. Breſa.*
Habitat ubique in *Carniola.*

Amenta *maſcula* terminalia, binata & ternata, ſolitaria, pendula, prope ultimam gemmam. Squamæ tres majores, ſuperne fuſcæ; media majore, orbiculata, tegente minores tres alias luteo-vireſcentes, e quibus ſtamina duodecim oriuntur, filamentis brevibus, antheris ovatis flavis. Amentum *femineum* minus, deflexum, virens, e gemma foliacea prodit; ſquamis ſubrotundis; ſtylis ſetaceis, purpureis.

Vimen ſi recens, erectum, ſterile, margaritiferum; adultum vero pendulum floriferum & glabrum eſt.

Aquam Betulæ Diabetem facere, experimento proprio didici non verum eſſe.

2. Betula pedunculis ramoſis. Linn. *Spec. plant.* p. 983.

Alnus.

Alnus. Linn. Fl. Lapp. 340. H. Cliff. p. 441. Boehm. Lipſ. 682. Hall. Helv. p. 157.

Habitat in umbroſis, udis, argilloſisque locis; paſſim.

Amenta *maſcula* terminalia, ſolitaria, pendula; ſquamis latis, fuſcis, glabris, brevibus; antheris duodecim. *Feminea* erecta, racemoſa, foliacea; ſtylis rubris. Phytholithum trunci frequentem præbet, ſi torrentibus diu fuerit immerſa, quorum alvei lapide calcario uberius ſcatent. Folia recentia, mane collecta, pavimento inſperſa pulices fugant. Linn. *Amoenit. Academ.* 1. p. 378. cimices Breslavienſ. 1721.

CARPINUS.

Tournef. *Inſt. p.* 582. *Tab.* 348.

Flores Maſculi & feminei in eadem planta & propriis amentis; & quidem *Maſcula* ſquamis unifloris, villoſis; ſtaminibus pluribus; *Feminea* vero ſquamis amplis, bifloris, trifidis: ſegmentis lanceolatis; germine unico; ſtylis duobus; nuce anguloſa, ovata, monoſperma.

1. Carpinus. Dodon. Camer. Tournef. Hall. aliorumque.

Habitat in ſylvis paſſim.

Amentum maſculum e gemma folii; ſquamis ſubrotundis, oris infra medium piloſis, apicibus rubris; antheris ſexdecim, pilis terminalibus. Femineum breve, latum; ſquamis haſtatis, imbricatis, villoſis, demum glabris & patulis; germine circa baſim ſtigma tomentoſo, demum calveſcente; ſtylis tribus, capillaceis; nuce ſeſſili, ſubovata, compreſſa, calyce erecto & quadridentato coronata.

OSTRYA.

OSTRYA.

MICHEL. *Gen. plant.* p. 223. *Tab.* 104.

Flores Maſculi & Feminei in eadem planta & propriis Amentis. *Maſcula* racemoſa; ſquamis acutis, villoſis; ſtaminibus pluribus. *Feminea* lupulacea; ſquamis inflatis, integerrimis, continentibus unicum germen; ſtylis duobus; capſula biloculari.

1. OSTRYA.

Oſtrya Italica, Carpini folio longiore & breviore. MICHEL. Ibid. SEGUIER. Veron. 2. p. 246.

Carpinus ſquamis ſtrobilorum inflatis. LINN. H. Cliff. p. 447. Spec. plant. p. 998.

Habitat abunde ad ripas torrentis kokæ prope domum Tellonariam.

Amentum *maſculum* exiguum & erectum. Femineum pendulum, ſubrotundum, ochroleucum; ſquamis figura ſeminis cucurbitæ, inflatis, ubique clauſis, ad baſim villoſis; germine acuminato, glabro; ſtylis capillaceis, ad baſim villoſis; capſulæ ſepto angulis oppoſito, ſed MICHELIVS ſemen nudum pro fructu poſuit.

QUERCUS.

LINN. *Gen. plant.* 449.

Flores maſculi & feminei in eadem planta. *Maſculi* in amentum laxum diſpoſiti; calyce monophyllo, dentato; ſtaminibus uſque decem. *Feminei* in gemma ſeſſiles; calyce monophyllo, integerrimo; germine ovato; ſtylis duobus vel pluribus; nuce ovali, calyce excepta, glabra.

1. QUERCUS foliis deciduis oblongis ſuperne latioribus: ſinibus acutioribus, angulis obtuſis. LINN. *H. Cliff.* p. 448. *Mat. Med.* 426. *Fl. Suec.* 784. *Spec. plant.* p. 996. HALL. *Helv.* p. 159. ROYEN. *Lugdb.*

Lugdb. p. 80. Dalib. *Paris.* p. 293. Boehm. *Lipſ.* 690.

Carniol. *Zebod. Hraſtavo drevo.* Fructus *Sholod.*

Habitat apricis in locis.

Mari Amenta linearia, longa, infra folia; antherarum faſciculis remotis & decem uſque ſtamina continentibus. *Feminæ* Flores terminales, plures ex una baſi; germine calyculato; ſtylis tribus, rubris.

Tota planta adſtringens eſt, maxime vero fructus; mihi ad alvi fluxus & dyſenterias compeſcendas familiaris eſt pulvis cupularum ſolus ad drachmam unam, aut in vino rubro quolibet trihorio datus. Pulvere amygdalarum febres intermittentes in pauperibus non ſemel debellavi, qua frebrifuga facultate cortex etiam inſtructus eſt.

CORYLUS.

Tournef. *Inſt. p.* 581. *Tab.* 347.

Flores maſculi & feminei in eadem planta. *Maſculi* in amentum longum, cylindricum, pendulum congregati ſunt, cui ſquamæ unifloræ, trifidæ: ſegmento medio latiore; ſtamina octo. *Feminei* gemma inclusi; calyce exiguo; germine unico; ſtylis duobus, coloratis; nuce ſubovata, glabra, tecta calyce amplo coriaceo monophyllo: margine lacero.

1. Corylus ſtipulis ovatis obtuſis. Linn. *H. Cliff.* p. 448. *Fl. Svec.* 787. *H. Upſal.* p. 286. *Mat. Med.* 431. *Spec. plant.* p. 998. Royen. *Lugdb.* p. 87. Hall. *Helv.* p. 159. Dalib. *Paris.* p. 294. Gmelin. *Sibir.* 1. p. 150. Boehm. *Lipſ.* 691.

Carniol. *Lesnik.*

Habitat ad radices montium ubique.

Mari amentum folia antecedens: ſquamis imis quinque aut ſex flore deſtitutis. Feminæ germina 6-12. ſeſſilia, ſubrotunda, infra mares; ſtyli purpurei

purei tunc manifesti cum antheræ pollen effundunt.

Numeravi in una arbore amenta plus quam tercenta, squamas in uno amento 230, antheras in unica squama 8, locula in una anthera duo, globulos seminales in uno loculo heu quot? En mirificum fœcunditatis exemplum; & tamen pleraque germina pereunt sterilia, imo aliquando vix aliqua in tota arbore fructum gerunt. An. 1755. dum ver ventosum esset valde, vix ullæ nuces natæ sunt; idem factum fuit an. 1754. ex uberioribus vernalibus pluviis.

Ligno, vase ferreo incluso & usto, utuntur pictores pro carbone ad delineandum. In Tyrolensi comitatu arcus ex recentibus virgis parant rustici capiendis avibus & talpis optime inservientes. Nuces in Carniola Rustici in furno exsiccatas edunt stomacho graviores minusque salubres; recentes vero & expressæ oleum fundunt amygdalino simillimum, cui specificam, ad sedandos dentium dolores, efficaciam inesse, mea certe experimenta non consentiunt.

FAGUS.

LINN. *Gen. plant.* 951.

Flores masculi & feminei in eadem planta. Masculi in amentum congregati constant calyce monophyllo, campanulato, plerumque quinquefido; staminibus multis. Feminei gemmæ insident, calyce monophyllo, dentato; germine unico; stylis tribus; capsula echinata, quadrivalvi, fovente nuces angulatas & cortice coriaceo tectas.

1. FAGUS foliis lanceolatis acuminato-serratis: subtus nudis. LINN. *H. Cliff.* p. 447. *H. Upsal.* p. 287. *Mat. Med.* 429. ROYEN. *Lugdb.* p. 79.

Castanea. HALL. ex CAMER. Helv. p. 160.

Carniol. *Kostainou dervo*, fructus vero *Kosten.*

Habi-

Habitat circa *Pilgratz*, *Lok*, in ſylva *S. Andreæ*, *S. Jacobi*, *S. Uſbaldi*.

Mari amentum triunciale, inferius. Floſculi ſeſſiles, calycibus quinque & ſexfidis. Stamina novem, erecta, longa. *Feminæ* amentum ſuperius. Floſculi calyx foliolis reflexis, acuminatis, imbricatis, tectus. Styli quinque. Nux eſculenta, flatulenta, ſtomacho gravis, ſapida tamen ideoque expetita.

2. FAGUS foliis ovatis obſolete ſerratis. LINN. *H. Cliff.* p. 447. *Fl. Svec.* 785. *Mat. Med.* 428. *Spec. plant.* p. 998. ROYEN. *Lugdb.* p. 79. DALIB. *Paris.* p. 294.

Carniol. *Buknie. Buckqua. Bukou. Bokovo drevu.*

Habitat ubique in ſylvis.

Amentum *maſculum* pendulum, pedunculatum. Calyx quinque dentatus, hirſutus. Stamina 12. filamentis erectis, longis, albis; antheris luteo polline plenis. *Femineum* terminale, pedunculo craſſiore; Germine hirſuto; ſtylis tribus; Fructu aſpero, cujus nux una terræ commiſſa, cotyledones profert binas, oppoſitas, reniformes, ſuperne virides nitidas & glabras, inferne albas; e quarum medio ſurgunt denique foliola parva, erecta, villoſa.

HUMULUS.

LINN. *Gen. plant.* 989.

Flores *Maſculi* & *Feminei* in diverſis plantis. Illi racemoſi, calyce pentaphyllo, ſtaminibus quinis. Iſti in amentum ovatum, pendulum congregati, cui ſquamæ amplæ, foventes germen exiguum, ſtylis duobus præditum, unde oritur ſemen ſubrotundum, tunica tectum.

Humulus mihi certe cum Amentaceis longe magis quam cum *Viti* & *Hædera* videtur adfinis.

1. HUMULUS. LINN. *H. Cliff.* p. 458. *Fl. Svec.* 818. *Mat. Med.* 458. *Spec. plant.* p. 1028. ROYEN. *Lugdb.* p. 222. DALIB. *Paris.* p. 301.

Lupulus. HALL. Helv. p. 166. BOEHM. Lipſ. 703.

Habitat ad ſepes.

Mari racemi laterales, patentiſſimi, folio longiores. Calyx pentaphyllus. Stamina quinque; filamentis brevibus. *Feminæ* veriſſima amenta; germen alatum, calyce monophyllo exceptum. Semen unicum.

CLASSIS XIX.

OLERACEÆ.

Flores apetali, plerumque hermaphroditi. Semen unicum, nudum, calyce perſiſtente exceptum. Indoles plerumque mitis.

RUMEX.

LINN. *Gen. plant.* 407.

Flores Dioici in *Acetoſa* TOURNEFORT. PONTED. SEGUIER. Hermaphroditi vero in *Lapatho* eorumdem; calyce duplici: exteriore minore, reflexo; interiore majore & fructum continente. Maſculis floribus ſtamina ſex pendula ut in *Humulo*, calyces patuli. Femineis ſtyli duo, ſtigmata laciniata. *Acetoſa* & *Lapatha* genere non differe jam dum agnovit RAJUS. *Meth. emend.* p. 21.

1. RUMEX floribus dioicis, Foliis oblongis ſagittatis. LINN. *Virid. Cliff.* p. 32. *H. Cliff.* p. 139. *H. Upſal.* p. 89. *Fl. Svec.* 295. *Mat. Med.* 529. ROYEN. *Lugdb.* p. 231. BOEHM. *Lipſ.* 572.

Lapathum acetoſum, ſexu diſtinctum, foliorum ſagittatorum hamis brevibus. HALL. Helv. p. 168. Carniol. *Kiſelza.*

Habitat

Habitat in pratis, paſſim.

Mari ſtatura minor. Pedunculi purpurei. Calyx patens. Stamina ſex; filamentis ſubulatis, baſi calycini folioli minoris utrinque inſertis; antheris oblongis, flavis, demum purpureis excepta baſi quæ flava manet. *Feminæ* ſtatura procerior. Calycis folia majora reflexa, minora erecta, germen protegentia. Styli tres. Stigmata rubra, plumoſa. Valvæ ſeminis ſenſim ita expalleſcunt, ut albæ fiant.

Ergo magnitudo plantæ maſculæ ad femineæ fæcundationem neceſſaria non eſt, ut Cannabis exemplo docuit. *Spettacolo della Natura Tom. 2. Dialog.* p. m. 169.

Tertia pars florum perit ſine fructu, etſi marem vicinum habeant.

Acida Acetoſæ folia recentia quomodolibet aſſumpta proſunt in morbis omnibus ex alcalino ſponaneo natis.

2. RUMEX floribus dioicis, foliis lanceolato-haſtatis. LINN. *Virid. Cliff.* p. 32. *H. Cliff.* p. 139. *Fl. Svec.* 296. ROYEN. *Lugdb.* p. 231. BOEHM. *Lipſ.* 573.

Lapathum acetoſum, ſexu diſtinctum, foliorum ſagittatorum hamis longis & divergentibus. HALL. Helv. p. 168.

Habitat ſicciora loca.

Mari Calycina folia poſtice rubra, patentia. Antheræ rubræ, polline flavo. *Feminæ* ſtatura maris. Calyx exterior virens. Stigmata flaveſcentia, uno ſæpius imperfecto. Vires Medicæ eædem, quæ in priore.

3. RUMEX floribus hermaphroditis: valvulis dentatis graniferis, foliis cordato-oblongis. LINN. *H. Cliff.* p. 138. *Fl. Svec.* 293. *Mat. Med.* 176. *Spec. plant.* p. 335. ROYEN. *Lugdb.* p. 229. BOEHM. *Lipſ.* 575.

Lapatha androgyna non acetosa. HALL. 6. 12. Helv. p. 170.

Carniol. *Schavie.*

Habitat in incultis udis.

Staminum filamenta aquea, antheræ flavæ longiores. Styli tres. Stigmata albida. Valvæ in ramorum apicibus integerrimæ & minime granulatæ.

Decoctum radicis mundat artus scabie obsessos. Semen pulverisatum adstringit alvum fluidiorem.

4. RUMEX floribus hermaphroditis, foliis cordato-hastatis. LINN. *Virid. Cliff.* p. 32. *H. Cliff.* p. 138. *H. Upsal.* p. 89. *Spec. plant.* p. 337. ROYEN. *Lugdb.* p. 170.

Lapathum androgynum acetosum, foliis sagittatis, hamis divergentibus. HALL. Helv. p. 170.

Habitat in M. *Anas.*

Folia modo hastata sunt, modo vero cordata; hami quoque nunc obtusi, nunc acuti observantur.

Vidi loco seminis capsulas claveformes, semiunciales, pendulas, semine viduas; valvis interioribus amplis & subrotundis; vidi quoque flosculum trifidum longo tubo donatum, sinu earumdem valvarum, seminis loco, exceptum. Sed hæc monstra sunt, notanda tamen.

POLYGONUM.

LINN. *Mat. Med. Octand. Trigyn.*

Calyx unicus coloratus; segmentis numero staminum, vel paucioribus, conniventibus, foventibus semen unicum, nudum. Styli numero variantes; stigmatibus indivisis.

1. POLYGONUM floribus digynis hexandris, foliis lanceolatis.

Varietates.

(a.) *Mite.*

Poly-

Polygonum floribus hexandris digynis, ſpicis ovatis oblongis, foliis lanceolatis, ſtipulis ciliatis. LINN. Spec. plant. p. 361.

Perſicaria floribus hexandris digynis. LINN. Fl. Svec. 319.

Perſicaria florum ſtaminibus ſenis, ſtylo duplici. LINN. H. Cliff. p. 42. ROYEN. Lugdb. p. 216. BOEHM. Lipſ. 567.

Perſicaria foliis non ſerratis, pene glabris, vaginis florum ciliaribus, ſpicis denſioribus. HALL. Helv. p. 180.

Habitat in hortis & ad vias.

Caulis folio concolor. Spicæ laxiores.

(b.) *Acre.*

Polygonum floribus hexandris ſemidigynis, foliis lanceolatis, ſtipulis ſubmuticis. LINN. Spec. plant. p. 361.

Polygonum foliis lanceolatis, floribus hexandris ſemidigynis. LINN. Mat. Med. 187.

Perſicaria floribus hexandris ſemidigynis. LINN. Fl. Svec. 320.

Perſicaria florum ſtaminibus ſenis, ſtylo bifido. LINN. H. Cliff. p. 46. ROYEN. Lugdb. p. 216. BOEHM. Lipſ. 568.

Perſicaria acris, ſpicis longis ſtrigoſioribus, vaginis non ciliatis. HALL. Helv. p. 181.

Habitat in aquis & foſſis.

Caules rubri. Vaginæ glabræ, virides. Petioli rubri. Spicæ denſæ. Styli in eadem planta modo bifidi & modo bini. Stipulatæ etiam plus & minus ciliatæ. Sapor vero ſpecies non conſtituit. LINN. *P. B. p.* 212. 283. Niſi ergo certiores dentur differentiæ, Perſicariam urentem a miti minime ſeparandam eſſe cenſeo.

2. POLYGONUM floribus digynis octandris, foliis caulinis cordato-lanceolatis, ſemine triquetro.

Polygonum caule ſimpliciſſimo monoſtachyo, foliis ovatis in petiolum decurrentibus. LINN. Spec. plant. p. 360.

Biſtorta foliis ovato-oblongis acuminatis. LINN. H. Cliff. p. 150. H. Upſal. p. 150. ROYEN. Lugdb. p. 217.

Biſtorta foliis imis appendiculatis, ſemine triquetro. HALL. Helv. p. 178.

Habitat in udis *agri Lubacenſis.*

Folia ima ovato-petiolata; ſuperiora e vaginis membranaceis, amplexicaulibus orta, baſi cordata, lanceolata, integra. Spica purpurea. Calyx pedunculo brevior. Antheræ ceruleæ. Styli duo. Semen nigrum.

3. POLYGONUM floribus trigynis octandris ſpicatis, foliis caulinis lanceolatis, ſemine ſubrotundo.

Polygonum caule ſimpliciſſimo monoſtachyo, foliis lanceolatis. LINN. Spec. plant. p. 360.

Biſtorta foliis imis ad oram nervoſis, imis ovalibus, ſuperioribus linearibus, ſemine gigartino. HALL. Helv. p. 179.

Biſtorta foliis lanceolatis LINN. Fl. Lapp. 152. H. Cliff. p. 150. Fl. Svec. 321.

Habitat in Alpibus *Carniolæ.*

Folia ima ovata; caulina lanceolata, omnia petiolata: ſupremo ſeſſili. Spica alba. Calyx quinquefidus; ſegmentis ellipticis. Stamina octo & ſex; antheris luteis. Styli tres. Semen ſubrotundum.

Biſtortæ radices ſtypticæ ſunt & validius aſtringentes Tormentilla, utiles propterea in omni nimia evacuatione, ablato prius tamen aut enervi reddito eo ſtimulo, qui morbi eſt cauſa proxima.

4. POLYGONUM floribus triandris octandris lateralibus, foliis lanceolatis, caule procumbente herbaceo. LINN. *Spec. plant.* p. 362.

Poly-

Polygonum caule procumbente herbaceo, foliis lanceolatis integerrimis. LINN. Mat. Med. 186.

Polygonum caule herbaceo, annuo. BOEHM. Lipſ. 589.

Polygonum. LINN. H. Cliff. p. 150. Fl. Svec. 322. ROYEN. Lugdb. p. 215. HALL. Helv. p. 182.

Habitat ad vias & circa hortos abunde.

Caules ramoſi, teretes, humifuſi. Vaginæ aridæ, integerrimæ. Semen Fagopyri.

Recentia folia, ad recentes morſus Viperarum in Carniola frequentiſſimarum, ſæpe utiliter apponunt Incolæ. Ego familiariter utor hac planta in Diarrhoeis etiam diuturnis, quarum hoc uno remedio integerrime ſanatarum obſervationes habeo non paucas.

5. POLYGONUM floribus trigynis octandris lateralibus planiuſculis, caule volubili, ſemine triquetro.

Polygonum foliis cordatis, caule volubili, floribus planiuſculis. LINN. Spec. plant. p. 364.

Fagopyrum ſcandens, ſemine calyce incluſo. HALL. Helv. p. 173. BOEHM. Lipſ. 591.

Helxine caule volubili. LINN. Fl. Lapp. 154. H. Cliff. p. 150. Fl. Svec. 323. ROYEN. Lugdb. p. 217.

Fagopyrum ſcandens, vulgare. TOURNEF. Inſt. p. 511. BOERHAV. 2. p. 188. ZANICHELL. Ven. p. 99. Icon. 156. SEGUIER. Veron. 1. p. 165.

Habitat ad ſepes & in hortis.

Calycis folia tria exteriora majora, duo interiora minora; ſexfidum quoque calycem reperi, quem pro univerſali exemplo non bene propoſuit. PONTEDERA *antholog.* p. 265. Semen calyce tectum, triquetrum, alis deſtitutum.

6. POLYGONUM floribus trigynis octandris, caule erecto inermi, seminum angulis integerrimis.

Polygonum foliis cordato-sagittatis, caule erectiusculo inermi, seminum angulis æqualibus. LINN. Spec plant. p. 364.

Fagopyrum erectum, fructu ex calyce eminente, lævi. HALL. Helv. p. 172. BOEHM. Lipſ. 590. Carniol. *Heiden.* non indigena.

Glandulæ octo, flavæ, ſeſſiles in fundo calycis. Stigmate rotunda. Semen inter præcipuos Carniolæ proventus numerandum.

Species prima acerrima eſt & diuretica; ſecunda & tertia adſtringunt; quarta vero & quinta oleraceæ ſunt & prorſus alia vi donatæ. Ergo non omnes plantæ, quæ Genere conveniunt, etiam virtute conveniunt, ut docuit LINNÆVS. *Phil. Bot.* §. 337. *Amoenit. academ.* 1. p. 398.

CHENOPODIUM.

TOURNEF. *Inſt. p.* 506. *Tab.* 288.

Flores hermaphroditi. Calyx quinquefidus D. perſiſtens G. ſtamina quina C. D. ſtylus profunde bifidus, ut bini appareant E. ſemen orbiculatum F. calyce exceptum.

1. CHENOPODIUM foliis triangulari-ſagittatis integerrimis. LINN. *H. Cliff.* p. 84. *Fl. Svec.* 208. *Mat. Med.* 106. *Spec. plant. p.* 218. ROYEN. Lugdb. p. 278. HALL. *Helv.* p. 174. DALIB. *Paris.* p. 79. BOEHM, *Lipſ.* 557.

Habitat in ruderatis circa domos.

Foliorum nervi ſaponaceo polline adſperſi. Antheræ non elaſticæ.

Rigida vaſa, tenſasque membranas emollit, non ſine repellente quadam & digerente efficacia. Utiliter itaque podagricis artubus in cataplasmate appo-

apponitur, & dolenti lateri in pleuritide applicatur.

2. CHENOPODIUM foliis cordato-triangularibus obtusiusculis dentatis, racemis erectis compositis subnudis caule brevioribus. LINN. *Fl. Suec.* 210. *Mat. Med.* 107. *Spec. plant.* 218. DALIB. *Paris.* p. 78.

Chenopodium folio lævi, multis & variis dentibus laciniato. HALL. Helv. p. 174. BOEHM. Lipſ. 561.

Habitat ad vias, frequens.

Folia ima ovata, obtusa, dentata, longius petiolata; superiora subtriquetra, acuminata; versus apicem integerrima, subtus farinacea. Farina hæc fit globulis plurimis, sessilibus, inæqualibus, aqueis. Calycis segmenta subovata, hirsutula.

3. CHENOPODIUM foliis rhomboideo-triangularibus erosis: postice integris: summis oblongis, racemis erectis. LINN. *Fl. Suec.* 712. *Spec. plant.* p. 219. DALIB. *Paris.* p. 80.

Habitat cum priore.

Caulis infra medium teres. Rami patuli. Racemi folioſi. Folia lanceolata; nervo indiviſo. Calyx quaſi membranaceus, albicans, acutus. Antheræ rubræ, effuſo polline triquetræ.

AMARANTHUS.

LINN. *Gen. plant.* 941.

Flores maſculi & feminei in eadem planta; calycibus coloratis, perſiſtentibus.

Maſculus ſtaminibus quinque. *Femineus* ſtylis tribus; capſula colorata, uniloculari, horizontaliter dehiſcente, monoſperma: ſemine globoſo.

1. AMARANTHUS floribus triandris glomeratis, foliis ſubovato-triquetris, caule diffuſo.

Amaranthus floribus glomeratis lateralibus, foliis ovatis retusis, caule diffuso. Linn. Spec. plant. p. 990.

Amaranthus foliis ovatis emarginatis. Linn. H. Cliff. p. 444, Fl. Svec. 779. Royen. Luggb. p. 420. Hall. Helv. p. 176. Dalib. Paris. p. 290.

Habitat in hortis, annua.

Caules diffusi; ramis horizontalibus, angulatis. Folia ima ovata, reliqua ovato-triquetra, acuta; marginibus rubris. Calyx trifidus; segmentis acutis, æqualibus. Stamina tria. Semen compressum, subrotundum, primo rubrum, dein cortice nigro & nucleo purpureum fundente succum.

Ego in hac planta femineos & hermaphroditos flores reperi, hinc potius Polygama esset quam Monoecia.

PARIETARIA.

Tournef. *Inst. p.* 509. *Tab.* 289.

Flores hermaphroditi & feminei in eadem planta. Linn. *Gen. plant.* 929.

Masculi, Feminei, Androgyni. Hall. *Helv.* p. 177. Staminei ovulo abortivo & pistillati sine staminibus Ludwig. *Defin. gen.* 763. omnes calyce monophyllo, quadrifido, persistente; staminibus (si adsunt) quatuor; germine unico; stylo unico: stigmate penicilliformi; semine unico. Sed unde tanta in sexu varietas in Parietaria, Amarantho, Cannabi, Veratro, Sanguisorba, aliisque plantis, quæ plurimos gerunt flores? an ex defectu nutritionis Ludwig. *l. c.* certe ab ætate & cultura sexum mutari posse, testis est Krammervs *in introduct.* n. 23.

1. Parietaria foliis lanceolato-ovatis integris. Linn. *H. Cliff.* p. 469. *H. Upsal.* p. 302. *Mat. Med.*

Med. 472. *Spec. plant.* p. 1052. ROYEN. *Lugdb.* p. 210. DALIB. *Paris.* p 305.

Habitat circa *Heidenſchafft*, & *Labacii* in *Arcis monte* olim copioſa, nunc Pharmacopæorum aviditate deſtructa.

Sapor aqueus foliorum vires emollientes indicat, & acri cuilibet organa reſpirationis, aut ſe- & excretioni urinæ deſtinata, præter naturam irritanti oppoſitas.

URTICA.

LINN. *Gen. plant.* 935.

Flores hermaphroditi in *Urtica* PONTEDER. Maſculi & Feminei in eadem aut diſtincta planta in *Urticoide* ejusd. *Mari* ſtamina quatuor, nectarium centrale. *Feminæ* calyx diphyllus, perſiſtens, Germen unicum, ſtylus unicus, ſtigma radiatim villoſum, ſemen unicum.

1. URTICA foliis oppoſitis cordatis, racemis geminis. LINN. *Spec. plant* p. 984.

Urtica dioica, foliis oblongo cordatis. LINN. H. Cliff. p. 440. Fl. Svec. 774. Mat. Med. 419. ROYEN. Lugdb. p. 210, HALL. Helv. p. 177. DALIB. Paris. p. 289. BOEHM. Lipſ. 679.

Urtica foliis cordatis, amentis cylindraceis, ſexu diſtincta. LINN. Fl. Lapp. p. 374.

Carniol. *Coprive.*

Habitat in ruderatis pinguibus.

Caulis obtuſangulus. Folia ſerrata, cordata, patula. Racemi bini, laterales, penduli, petiolo longiores. *Mari* Folia calycina alterne minora; Nectarium ſphæricum, pedunculatum. *Feminæ* folia calycina ovata, glabra, ſemine demum longiora. Stylus pallide ruber. Stigma plumoſum.

Urti-

Urticatio in Lethargicis & Paralyſi particulari antiquiſſima eſt ARETÆVS *in curat. lethargic.* Cap. 2. v. 32. & etiamnum utilis: Vidi puellæ hac una methodo reſtitutum brachio ſenſum & motum. Succus plantæ cochleatim ſumptus hæmopthyſi aliaquæ hæmorrhagia laborantibus perſæpe profuit. Folia recentia a plerisque ſpinachii loco in cibum veniunt.

2. URTICA foliis oppoſitis ovalibus. LINN. *Spec. plant.* p. 984.

Urtica androgyna foliis ovalibus. LINN. H. Cliff. p. 440. Fl. Svec. 773. ROYEN. Lugdb. p. 210. DALIB. Paris. p. 288.

Urtica foliis ovatis, amentis cylindraceis androgynis. LINN. Fl. Lapp. 375. HALL. Helv. p. 178. BOEHM. Lipſ. 680.

Habitat in hortis, verſuris, & circa domos.

Racemi erecti. Folia ovata. Flores androgyni.

CLASSIS XX.
TRICOCCÆ.

LINN. *Claſſ. Plant.* & *Phil. Bot.*

Omnes gerunt fructum ſulcatum, & acres ſunt. Plerisque vero eſt calyx monophyllus, corolla nulla, ſtamina plura quam ſunt calycis ſegmenta aut folia, & capſula pluribus loculis monoſpermis inſtructa.

MERCURIALIS.

TOURNEF. *Inſt. p.* 534. *Tab.* 308.

Flores apetali Maſculi & Feminei in diverſa planta, calycibus trifidis, patulis; Hi in *Mare* gerunt ſtamina 5-15. LUDWIG. *Defin. gen.* 936. ſex TOURNEF. *A. B.* 9-12. LINN. *Gen. plant.* 910. 12-16. HALL. *Helv.* p. 194.

In

In *femina* vero germen unicum; ſtyli duo, hirſuti; capſula didyma, bilocularis: loculis monoſpermis.

1. MERCURIALIS caule ſimplici.

Mercurialis caule ſimpliciſſimo, foliis ſcabris. LINN. H. Cliff. p. 461. Fl. Svec. 823. Spec. plant. p. 1035. ROYEN. Lugdb. p. 203. DALIB. Paris. p. 302. HALL. Helv. p. 194. BOEHM. Lipſ. 709.

Habitat in ſylvis verno tempore.

Caulis ſimplex. Folia oblonga, nitida, glabra. Bracteæ acutæ, lingulatæ. *Mari* ſpicæ unciales; flores remoti, duo & tres ſimul; calyx profunde trifidus, patens, regularis; ſtamina octo, calyce breviora: antheris flavis. *Feminæ* infloreſcentia eadem; germen hirſutum, cujus ſulcum excipit ex utraque parte filamentum non antheriferum; fructus *Veronicæ quinquelobæ repentis*, factum capſulis binis ſcabris didymis & monoſpermis.

2. MERCURIALIS caule brachiato erecto annuo.

Mercurialis caule brachiato, foliis glabris. LINN. H. Cliff. p. 461. H. Upſal. p. 298. Mat. Med. 464. Spec. plant. p. 1035. ROYEN. Lugdb. p. 263. HALL. Helv. p. 194. DALIB. Paris. p. 302. BOEHM. Lipſ. 708.

Habitat circa *Labacium* ad vias & in hortis.

Capſulæ ſubechinatæ.

Sale acri ſed aqua copioſa diluto & hebetato pollet, hinc emollit quidem primo dein vero abſorpta ab inteſtinis aqua, ſalia vires ſuas exercent, ſtimulant, alvum ducunt. Primæ ſpeciei narcoticam & venenatam vim ineſſe monent Viri docti nuperrimi experimentis edocti, ne utraque ſpecies in uſum Medicum promiſcue revocetur.

EUPHOR-

EUPHORBIA.

LINN. *Gen. plant.* 536.

Calyx monophyllus, ventricosus, coloratus, persistens; sustinens petala aut scuta quatuor & quinque subrotunda aut lunulata, persistentia. Filamenta duodecim vel plura, e calyce vario tempore successive erumpentia, e receptaculo genita. Stylus unicus LINN. plures HALL. LUDWIG. Capsula triloba, e stylo elongato pendula; loculis monospermis: seminibus subrotundis.

1. EUPHORBIA umbella quadrifida: dichotoma, foliis oppositis integerrimis. LINN. *Spec. plant.* p. 457.

Euphorbia inermis foliis oppositis lanceolatis integerrimis, umbella universali quadrifida tetraphylla, ulterioribus dichotomis. LINN. H. Upsal. p. 140. Mat. Med. 226.

Tithymalus foliis ad caulem cruciatis, lingulatis, sub floribus cordatis, longe acuminatis, scutis bicornibus, obtusis. HALL. Helv. p. 189.

Euphorbia inermis foliis oppositis lanceolatis, umbella universali quadrifida polyphylla, partialibus triphyllis, reliquis diphyllis. LINN. H. Cliff. p. 198. ROYEN. Lugdb. p. 196. DALIB. Paris. p. 155.

Tithymalus latifolius, Catapatia dictus. HERMAN. Lugdb. p. 599. TOURNEF. Inst. p. 86.

Habitat in hortis circa *Idriam*, an vere indigena.

Radix biennis. Caulis fistulosus. Folia caulina, lanceolata, in mollem spinulam desinentia; ramea subcordata, situ inæquali: unum enim & majus ad angulum rectum cum radio ponitur, aliud vero deflexum & floriforum est. Rami & radii dichotomi. Petala quinque, crassa, lunata: cornibus obtusis. Stamina ad 18. Capsulæ glabræ, substantia sicca & cellulosa.

Rustici

Ruſtici ſemina nonnulla, quæ Pilulas vocant, verno tempore vorant, cum ſubſequentibus torminibus & hypercatharſi.

2. EUPHORBIA umbella quinquefida: dichotoma, involucellis perfoliatis.

Tithymalus foliis ſubhirſutis, ad caulem ellipticis, cymbis florum perfoliatis, leviſſime bifidis, petalis lunatis, acutis. HALL. Helv. p. 190.

Euphorbia inermis, foliis lanceolatis, umbella univerſali multifida, partialibus dichotomis, involucris ſemibifidis perfoliatis. LINN. H. Cliff. p. 199. H. Upſal. p. 142. ROYEN. Lugdb. 197. Sed cur vocat multifidam? cur Tithymalum ſylvaticum a characia diſtinguit in *Spec. plant.* p. 463. cur Euphorbiæ characiæ applicat Synonymum quod convenit etiam ſylvaticæ? Ego vel neutram, vel utramque vidi non ſpecie differre, conveniunt enim

Loco natali in ſylvis apricis & aſperis. Caulibus fruticoſis: antiquo decumbente, glabro & caſu foliorum cicatrizato, baſi rubro. Foliis imis congeſtis longioribus, integerrimis. Involucellis perfoliatis, ſemibifidis. Floribus ſeſſilibus, tetrapetalis; petalis lunatis. Capſulis glabris. Lacte miti. Variant vero Foliorum longitudine, petiolis brevibus vel longioribus, ſuperficie inferiore plus minus lanugi noſa; Radiis ſemel aut bis dichotomis; Floribus aut capſulis citius aut ſerius decidentibus.

3. EUPHORBIA umbella quinquefida: bifida, involucellis cordatis ſerratis, foliis lanceolatis obtuſis, floribus ſeſſilibus, capſulis tuberculoſis.

Habitat cum dulci LINNÆI, a qua differt.

Tardiore floreſcentia. Caule ſubangulato. Foliis imis ſurſum imbricatis, congeſtis; ſuperioribus remotis, reflexis: apice dilatatis, obtuſis, viridioribus, ſubſerratis: marginibus neque pellucidis, neque colora-

tis;

tis; nervis indiviſis & minus hirſutis. Floribus ramis intermediis ſeſſilibus, fertilibus. Flore centrum umbellæ occupante maſculo, breviter pedunculato, Involucellis ſerratis. Flore intermedio hermaphrodito, ſeſſili. Petalis rubris, quæ juniora virent. Calycibus glabris. Capſulæ ſubluteæ angulis aſperis, tuberculoſis.

4. EUPHORBIA umbella quinquefida: bifida, involucellis oblongis integris, foliis lanceolatis acutis, floribus pedunculatis, capſulis verrucoſis.

Euphorbia umbella quinquefida: bifida, involucellis ſubovatis, foliis lanceolatis obtuſis integerrimis. LINN. de Euphorb. 35. Spec. plant. p. 457.

Tithymalus foliis ad caulem ſubhirſutis, ellipticis, brevibus, ſub floribus binis, cordatis, capſularum media parte verrucoſa. HALL. Helv. p. 190.

Habitat in ſiccis & ſterilibus.

Folia acuta, integerrima; oris rubris, pellucidis, inferne villoſa. Rami raro fertiles, flore intermedio perpetuo ſterili. Involucrum foliis caulinis ſimile. Radii dichotomi, involucellis ſimilibus; medio flore ſterili, pedunculato. Calyces villoſi. Petala flava. Capſula virens, verrucoſa.

5. EUPHORBIA umbella quinquefida: bifida, involucellis ſupra medium ſerratis ovatis, caulibus diffuſis.

Habitat in pratis ſterilibus, paſſim.

Caules in ceſpitem quaſi ſphæricum collecti, ex eadem radice plurimi, diffuſi, teretes, ſimplices, ſemipedales, ad baſim nudi, ex antiquis & aridis orti. Folia ſeſſilia, ovato-lanceolata, alterna, patentia, remota, obtuſa, ſerrulata, marginibus circa baſim breviter villoſis. Umbellæ flaveſcentis radii quini, involucro brevioribus pedunculis; flore medio maſculo, pedunculato, glabro, pentapetalo. Involucella ovata, bina,

bina, ſupra medium ſerrata. Flores tetrapetali, medii maſculi. Petala ſubrotunda. Capſula verrucoſa, non hirſuta. Paſſim obvia degeneratio hujus plantæ occurrit caulibus erectis, flore deſtitutis, foliis utrinque denſiſſima veluti ſcabie tuberculorum flaveſcentium aſperis.

6. EUPHORBIA umbella quinquefida: bifida, involucellis ſubovatis, foliis lanceolatis obtuſis integerrimis. LINN. *de Euph.* 35. *Spec. plant.* p. 457.

Tithymalus foliis ad caulem ſubhirſutis, ellipticis, brevibus, ſub floribus binis, cordatis, capſularum media parte verrucoſa. HALL. Helv. p. 190.

Habitat circa *Idriam.*

Folia oblonga, utrinque villoſa, integerrima. Involucri folia acutiora. Involucella ſubcordata. Capſula hirſutula, verrucoſa. Proxime accedit ad ſpeciem tertiam, diverſa tamen.

7. EUPHORBIA umbella quinquefida: bifida, involucellis linearibus, capſulis glabris.

Habitat in arvis circa *Labacium ſuperius.*

Caulis vix ſemipedalis. Rami ſubradicales, glabri, dichotomi. Folia linearia, diu perſiſtentia. An degener varietas *Tithymali annui lunato flore, linariæ folio longiore* MORISONI *Hiſt.* 3. *p.* 339.

8. EUPHORBIA umbella quinquefida: trifida: dichotoma, involucellis ſubovatis, foliis lanceolatis ſerrulatis, capſulis verrucoſis. LINN. *de Euph.* 32. *Spec. plant.* p. 459.

Tithymalus foliis ſubhirſutis, ad caulem ellipticis, ſub floribus binis, ſubrotundis, diſtinctis, capſulis totis verrucoſis. HALL. Helv. p. 191.

Habitat in incultis, ſabuloſis, apricis.

Umbella a naturaliſſimo quinario radiorum numero facillime deficiens. Radii trifidi, & ter dichotomi. Involucrum lanceolatum, ſecundum ovatum, cætera cordata. Flores radiorum primi plerumque

ſteriles, alii fertiles, erecti, pedunculati. Petala ſubrotunda, flaveſcentia. Capſula erecta, virens, verrucoſa; villis paucis, in ſenio deciduis ſupra medium pubeſcens.

9. EUPHORBIA umbella quinquefida, trifida, dichotoma, involucellis ovatis, petalis ſubrotundis, capſulis glabris.

Euphorbia umbella quinquefida, trifida, dichotoma, involucellis obovatis, foliis cuneiformibus ſerratis. LINN. de Euph. 42. Spec. plant. p. 459.

Tithymalus non acris, foliis ſerratis, rotunde terminatis, radiis umbellæ quinis, latiſſimis. HALL. Helv. p. 194.

Euphorbia inermis foliis crenatis, umbella univerſali multifida polyphylla, partialibus trifidis, propriis triphyllis. LINN. H. Cliff. p. 198. Fl. Svec. 436. ROYEN. Lugdb. p. 197. DALIB. Paris. p. 156. BOEHM. Lipſ. 77.

Habitat in hortis & arvis poſt demeſſas ſegetes.

Folia caulina cito decidua, in radiis diutius perſiſtentia. Radii bis trifidi, bis terque dichotomi. Flores intermedii plerumque ſteriles. Calyces glabri, ſeſſiles. Petala virentia, ſubrotunda. Capſula virens, glabra.

10. EUPHORBIA umbella multifida: dichotoma, involucellis cordatis, foliis lanceolatis.

Euphorbia umbella multifida: dichotoma, involucellis ſubcordatis patulis, petalis bicornibus, ramis ſterilibus, foliis uniformibus. LINN. de Euph. 48. Spec. plant. p. 461.

Carniol. *Meitſek.*

Habitat circa *Lacum Zirchnicenſem* abunde.

Caulis bipedalis, annuus, glaber; alba medulla. Folia conferta, lanceolata, glabra. Rami folio longiores, bifidi; flore intermedio ſterili, aliis fertilibus.

Involucell
radiorum p
dula, e cal
Ruſtic
gnoſcentib
domini ſur
to corpore
dum. Ha
ſupervenie
périit. Si
tumefacto
enormiter
riter dolor
omnino co
11. EUPH
volucel
glabris.
lucel
catis
mina
obtu
ferti
moſe
Lug
Habit
Auerſperg
Cauli
Involucru
radii ad 1
cella cor
cta, glabra
12. EUPH
lucellis

Involucella cordata, integerrima, ſublutea. Flores radiorum primi ſæpius fertiles. Capſula glabra, pendula, e calyce ſeſſili.

Ruſticus militiæ nomen dare coactus, ut recognoſcentibus haud idoneus videretur, appoſuit abdomini ſummitates hujus plantæ. Intumuit inde toto corpore, ac præſertim abdomine, mirum in modum. Hac fraude militare jugum evaſit quidem, ſed ſuperveniente ſphacelo, inflammati ventris, miſerrime periit. Simili dolo evaſit alter quoque Villicus, tumefacto nempe, ex applicata hac herba, ſcroto adeo enormiter, ut capite humano majus fuerit. Hic pariter dolores in eo loco diu equidem paſſus eſt, ſed omnino convaluit.

11. EUPHORBIA umbella multifida: dichotoma, involucellis cordatis, foliis linearibus, capſulis glabris.

Euphorbia umbella ſubquinquefida: bifida, involucellis cordato-reniformibus, foliis ſurſum imbricatis. LINN. de Euph. 53. Spec. plant. p. 458.

Tithymalus foliis glaucis linearibus, ſpinula terminatis, radiis umbellæ pluribus reflexis, petalis obtuſis. HALL. Helv. p. 192.

Euphorbia inermis foliis ſetaceo-linearibus confertis, umbella univerſali multifida, partialibus ramoſe bifidis. LINN. H. Cliff. p. 200. ROYEN. Lugdb. p. 193.

Habitat ad vias circa *Vipaccum*, *Labacium*, *Arcem Auerſperg* &c.

Caulis ramoſus. Folia ſetacea, glauca, patula. Involucrum polyphyllum, lanceolatum. Umbellæ radii ad 16. dichotomi, plerumque ſteriles. Involucella cordata, integerrima, ſubrubra. Capſula erecta, glabra.

12. EUPHORBIA umbella multifida: dichotoma, involucellis cordatis, foliis linearibus, capſulis verrucoſis.

Euphorbia umbella multifida: dichotoma, involucellis subcordatis, ramis sterilibus, foliis setaceis, caulinis lanceolatis. LINN. Spec. plant. p. 461.

Tithymalus foliis ad caulem linearibus obtusis, radiis umbellæ pluribus, petalis lunatis. HALL, Helv. p. 193.

Habitat ad vias passim.

Caulis supra medium ramosus. Rami inferiores steriles, folioſi; superiores floriferi, fertiles, plerumque nudi. Folia linearia, glabra, patula, plurima, vix uncialia, sine spina. Involucella lata, cordata, integerrima. Flores medii plerumque fertiles. Calyx glaber, flavus, pedunculatus. Petala flava. Capsula obtusa.

CLASSIS XXI.
CONTORTI.

LINN. *Class. Plant. & Phil. Bot.*

Calyx monophyllus, quinquefidus. Flos hermaphroditus. Corolla monopetala, fructum continens. Stamina quinque; ut in Asperifoliis, sed corollæ laciniæ cum sole utplurimum flexæ; fructus ex binis capsulis polyspermis plerumque compositus; ingenium acrius.

Classis hujus adfinitatem cum superiore demonstrat *Euphorbiæ* cum *Apocyno* communis lacteſcens, acerrima & nauseosa facultas, nec non fructus, siccus & ex pluribus veluti capsulis invicem connatus constans.

ASCLEPIAS.

LINN. *Gen. plant.* 270.

Calyx monophyllus, persistens, quinquefidus TOURNEF. *Tab.* 21. E. 22. D. LINN. *l. c.* LUDWIG. *Defin. gen.* 98. 99. pentaphyllus HALL. *Helv.* p. 525.

Corol-

Corolla monopetala, quinquefida; tubo brevi. Stamina quinque; squamis quinque ad stylum compressa. Germina duo. Styli duo. Capsulæ binæ, unilocularis Semina plura, compressa, papposa.

1. Asclepias foliis ovatis: basi cordatis, caule erecto, umbellis proliferis. Linn. *Spec. plant.* p. 216.

Asclepias caule erecto simplicissimo herbaceo, foliis cordato-lanceolatis, racemis conglomeratis alternis. Linn. Fl. Svec. 200. Mat. Med. 103. Dalib. Paris. p. 76. Boehm. Lipsi. 56.

Asclepias foliis ex ovato-lanceolatis, floribus confertis. Hall. Helv. p. 525.

Asclepias caule erecto annuo, foliis ovato-lanceolatis, floribus confertis. Linn. H. Cliff. p. 78. Royen. Lugdb. p. 410.

Habitat in sterilibus & asperis.

Folia cordata, infra flores lanceolata; oris nervisque tomentosis. Racemus ex unica axilla, nudus; pedunculis umbellatis: unico ramoso. Calyx regularis; segmentis capillaribus. Corollæ faux squamis crassis erectis ornata. Siliquæ longæ.

Radices acres sunt & amaræ, non sine veneni suspicione, in tanta similitudine Apocyni, ut recentes vomitum provocent. Hall. *l. c.* subvenenatas esse etiam Linnæus affirmat *Mat. Med. l. c.* ad excitandos sudores, & pellenda exanthemata, laudantur a multis; cum vero tutiora adsint medicamenta, quæ iisdem indicationibus satisfaciunt, a suspectis hisce radicibus præstat abstinere.

VINCA.

Linn. *Gen. plant.* 261.

Differt ab *Asclepiade* corolla hypocrateriformi, longo tubo donata Tournef. *Tab.* 45. A. B.; segmentis oblique truncatis; stylo unico D; semini-

bus nulla adhærente lanugine Ray *Meth. emend.* p. 82.

1. Vinca caulibus procumbentibus, foliis lanceolato-ovatis. Linn. *Spec. plant.* p. 209.

Pervinca foliis ovato-lanceolatis. Hall. Helv. p. 526. Boehm. Lipſ. 41.

Vinca foliis ovatis. Linn. H. Cliff. p. 77. H. Upſal. p. 53. Mat. Med. 101. Royen. Lugdb. p. 412. Dalib. Paris. p. 75.

Vinca provinca. Officin. Volkam. Norimb. p. 400.

Habitat in ſterilibus, ſiccis, umbroſisque locis.

Caules floriferi erecti, ſteriles humifuſi. Folia firma, oblonga, integerrima, oppoſita. Ala unica uniflora; pedunculo folio caulis floriferi longiore. Calyx regularis. Corollæ tubus ſegmentis crenulatis nihilo longior; fauce barbata, pentagona. Filamenta baſi hirſuta, gibboſa; antheris ciliatis, tectis corona villorum e tubo prodeuntium. Siliculæ polyſpermæ raro ad maturitatem perductæ, coërcitæ clauſtris adſidentibus ſubrotundis.

Adſtringens eſt planta ſicca præſertim, & in Gargariſmate ad uvulæ laxitatem utilis; reliquæ, quæ huic paſſim tribuuntur laudes, apud me fidem non inveniunt.

CLASSIS XXII.

ASPERIFOLIÆ.

Herman. Ray. Boerhaav. Linn. Royen. Hall.

Calyx monophyllus, quinquefidus, perſiſtens. Corolla monopetala, tubuloſa, quinquefida. Stamina quinque, e tubo genita. Stylus unicus. Germina quatuor. Fructus ſiccus, conſtans quatuor, aut

paucio-

paucioribus seminibus vel capsulis calyce dilatato inclusis. Vires subadstringentes, subinde narcoticæ.

I. *Corolla regulari.*

CYNOGLOSSUM.

LINN. *Gen. plant.* 168.

Essentia generis consistit in quatuor capsulis monospermis, stylo affixis. LINN. *loc. cit.*

1. CYNOGLOSSUM fructu glabro, foliis petiolatis ovatis, caule repente.

Cynoglossum repens, foliis radicalibus cordatis. LINN. H. Cliff. p. 47. Spec. plant. p. 135. ROYEN. Lugdb. p. 406.

Omphalodes pumila verna, symphyti folio. TOURNEF. Inst. p. 140.

Habitat ad radices montium in *Carniola* frequens, verno tempore.

Caulis repens; scapo florigero erecto, folioso. Folia omnia petiolata, ovata, acuminata. Racemi laterales, folio longiores, nudi; terminalis folioſus. Flores erecti, sparsi, pauci; pedunculis post delapsam corollam cernuis. Calyx villosus, profunde quinquefidus; segmentis acutis, æqualibus, corollæ tubo longioribus. Corolla cærulea, hypocrateriformis; segmentis orbiculatis, plica distinctis; fauce clausa squamis albis, non eminentibus, stellam referentibus. Stamina corollæ tubo breviora; filamentis albis; antheris flavis. Capsulæ pendulæ, umbilicatæ, heteromalæ, glabræ, monospermæ; marginibus ad lentem vitream villosis, calyce patentissimo & stellato inclusæ. Semen ovatum, interiori latere affixum.

2. CYNOGLOSSUM fructu echinato, foliis imis petiolatis: caulinis sessilibus amplexicaulibus.

Cynoglossum staminibus corolla brevioribus, foliis lato-lanceolatis tomentosis sessilibus. Linn. Spec. plant. p. 134.

Cynoglossum foliis ovato-lanceolatis. Linn. H. Cliff. p. 47.

Cynoglossum foliis amplexicaulibus, lingulatis, mollibus, hirsutis. Hall. Helv. p. 521. Boehm. Lipf. 25.

Cynoglossum foliis lanceolato-ovatis, corollis calycem æquantibus. Royen. Lugdb. p. 406. Linn. Fl. Svec. 154. Mat. Med. 60.

Carniol. *Passie jesik.* in aridis, non rarum.

Corolla violacea, infundibuliformis; segmentis suberectis, absque plica, calyce paulo longioribus; squamis erectis, violaceis, divergentibus, papillosis ad faucem positis. Filamenta basi latiora; antheris rubris, polline flavo. Stylus conicus. Capsulæ echinatæ.

Narcotica vis Cynoglossi non hæret in parte fixa, sed in spiritu volatili qui ex aqua destillata naribus exceptus, temulentiam inducit, quare ergo in extracto narcosim adeo pernicioſam quærunt multi ut in numero remediorum tolerandum non esse sentiant? Sed neque tota planta adeo deleteria est, ut quidam putant. Dedi sæpius extractum radicis in Dysenteriis ad corrigendam acrimoniam non sine fructu. Dedi folia aliis herbis immixta pro potu theiformi in tussi illa sicca & convulsiva quæ ab acri & irritante sero dependet, absque ulla cerebro illata noxa. Tuto itaque sed caute utantur Medici Cynoglosso & nocebit certe nunquam.

MYOSOTIS.

Linn. *Gen. plant.* 518.

Varie a Botanicis denominati Generis essentia consistit in fauce corollæ hypocrateriformis clausa squa-

squamis quinque stellam exprimentibus, & seminibus acuminatis.

1. MYOSOTIS seminibus nudis: foliorum apicibus callosis. LINN. Virid. Cliff. p. 149. H. Cliff. p. 45. Fl. Svec. 149. Spec. plant. p. 131. ROYEN. Lugdb p. 404.

Heliotropium foliis glabris. BOEHM. Lipſ. 31.

Scorpiurus perennis, floribus majoribus. HALL. Helv. p. 520.

Myosotis glabra, pratensis. DILLEN. Giss. p. 67. LINN. Fl. Lapp. 75.

Heliotropium minus, angustifolium, palustre. BOERHAV. I. p. 190.

Myosotis palustris, minor. RUP. Ien. p. 7.

Lithaspermum palustre minus. TOURNEF. Inst. p. 137. SEGUIER. Veron. I. p. 222.

Habitat in pratis humidioribus.

Folia sessilia, oblonga. Racemi axillares. Calyx segmentis corollæ longior. Corollæ limbus diametrum habet tubo breviorem, faux luteis squamis ornata. Antheræ flavæ; corpusculo subovato, aqueo terminatæ.

2. MYOSOTIS seminibus aculeis glochidibus, foliis lanceolatis pilosis. LINN. Fl. Svec. 150. Spec. plant. p. 131. DALIB. Paris p. 57.

Cynoglossum foliis lanceolatis, floribus in foliorum alis subsessilibus. QUETTARD. Stamp. I. p. 92.

Cynoglossum foliis lingulatis, hirsutis, subasperis, floris minimi tubo longiore. HALL. Helv. p. 521.

Lithospermum seminibus aculeatis. LINN. H. Cliff. p. 46.

Buglossum angustifolium semine echinato. TOURNEF. Inst. p. 134. SEGUIER. Veron. I. p. 215.

Habitat in *agro Vipacensi.*

LITHOSPERMUM.

TOURNEF. *Inſt. p.* 137. *Tab.* 55.

Corolla infundibuliformis A; fauce pervia. Semina *Myoſotidis.*

1. LITHOSPERMUM ſeminibus lævibus, corollis calycem vix ſuperantibus. LINN. *H. Cliff.* p. 46. *Fl. Svec.* 151. *Mat. Med.* 57. *Spec. plant.* p. 132. ROYEN. *Lugdb.* p. 405. DALIB. *Paris.* p. 58.

Lithoſpermum foliis ſubtus nervoſis, floribus in alis foliorum exeuntibus. HALL. Helv. p. 518.

Carniol. *Titsha broſu.*

Habitat in apricis & aridiſſimis locis.

Caulis ſupra medium ramoſus. Folia lanceolata. Corollæ tubus calycis longitudine, pedunculo duplo craſſior. Antheræ rufæ. Semen album, ſolidiſſimum, ſplendens, diu calyci adhærens.

Quid ineſt adeo laudabile his ſeminibus? Iners, inſipida, inodora terra & præterea nihil. HALL. LINN.

PULMONARIA.

TOURNEF. *Inſt. p.* 136. *Tab.* 55.

Calyx pentagonus E. Corolla infundibuliformis A. Semina obtuſa F.

1. PULMONARIA foliis radicalibus in petiolum decurrentibus: caulinis ſeſſilibus ſemiamplexicaulibus.

Pulmonaria foliis radicalibus ovato-lanceolatis, inferius decurrentibus. BOEHM. Lipſ. 30.

Pulmonaria foliis radicalibus linguæformibus. HALL. Helv. p. 517.

Pulmonaria foliis radicalibus lanceolatis. LINN. H. Cliff. p. 44. Spec. plant. p. 135. ROYEN. Lugdb. p. 404. DALIB. Paris. p. 60.

Carniol. *Pluzhenigck.*

Habitat

Habitat ubique in ſylvis.

Calycini villi capitulo exiguo concolore ſæpius ornati ſunt. Faux corollæ piloſa, non clauſa unguibus.

Attenta diverſitate foliorum, quam huic plantæ alpina aut humiliora loca tribuunt, facile adducor ut credam ſpeciem hanc non differre ab illa cui folia radicalia ovato-cordata ſunt; Non etiam *Pulmonaria femina* TABERNEM. p. 948. aut maculoſa II. ejusdem, quam ad ſpecimen foliis cordatis citant HALLER & BOEHMER, folia minima cordata gerit.

In Catharrhis, Tuſſi, & Phtyſica labe pulmonum recens planta convenit, ſicca vero nihil eſt niſi terra.

SYMPHYTUM.

LINN. *Gen. plant.* 170.

Corollæ faux clauſa palis quinque ſubulatis, in conum convenientibus. Semina gibba, acuminata.

1. SYMPHYTUM foliis ovato-lanceolatis decurrentibus. LINN. *H. Cliff.* p. 47. *Fl. Suec.* 155. *Mat. Med.* 61. *Spec. plant.* p. 136. ROYEN. *Lugdb.* p. 407.

Symphytum foliis ovato-lanceolatis, caule alato. HALL. Helv. p. 514. BOEHM. Lipſ. 28.

Habitat Variet. (a.) in aquoſis & pinguibus, (b.) circa Hydriam, & Pellant in ſiccioribus locis, *Gabes* dictum.

Varietas (a.) *Flore rubro.* Racemos habet plures, multifloros. Corollæ limbum arctiorem; tubum craſſiorem; colorem vero violaceo-rubrum. Varietas autem (b.) *Flore flavo* gerit caulem breviorem, vix cubitalem, minus alatum. Racemos paucos; Flores longiores; Palorum margines ciliato-glanduloſos Folia pallidiora, molliora, minus nervoſa.

Radix

Radix crasso muco adeo abundat ut nisi debitam aquæ copiam addas, gelatinam efficiat. Decoctum utile est ad oblinienda & consolidanda intestina post diuturnas Dysenterias, quomodolibet applicatum.

CERINTHE.

LINN. *Gen. plant.* 171.

Character essentialis consistit in corollæ regularis fauce pervia & nuda. LINN.

1. CERINTHE foliis amplexicaulibus integris, fructibus geminis, corollis acutis clausis. LINN. *Spec. plant.* p. 137.

Cerinthe foliis amplexicaulibus integris, floribus profunde quinquefidis. HALL. Helv. p. 516.

Habitat circa *Idrtam* & alibi passim.

Caulis teres, ramosus. Folia integerrima, ovalia, fere glabra, amplexicaulia, maculosa, non emarginata, neque decurrentia. Corolla flava, clausa, semiquinquefida; denticulis æqualibus. Antheræ dentium longitudine, e basi binas aristas horizontales emittentes.

Plantam hanc olim in mea Methodo Plantarum Vindobonæ edita, & festinanter conscripta, pro nova proposui. Fateor autem nunc errorem, fassurus forte postea & alios - neque enim est levitas a cognito & damnato errore discedere, & ingenue fateri: aliud putavi; deceptus sum. SENECA *Lib.* 4. *de Benefic. cap.* 38.

2. CERINTHE foliis lanceolato - linearibus hispidis, seminibus quaternis distinctis. LINN. *H. Cliff.* p. 48. *Spec. plant.* p. 137. ROYEN. *Lugdb.* p. 408.

Symphytum foliis lingulatis, hispidis, flore palis destituto. HALL. Helv. p. 515.

Echium Anchusæ facie, flore luteo, minus, HERMAN. Lugdb. p. 225.

Symphy-

Symphytum Echii foliis anguſtioribus, radice rubra, flore luteo. TOURNEF. Inſt. p. 138. SEGUIER. Veron. 1. p. 225.

Habitat circa *S. Vittum.*

Caulis adicendens. Folia ſeſſilia. Flos luteus. Calyx erectus; laciniis linearibus, inæqualibus. Corollæ denticuli reflexi; faux nuda. Semina duo, tria, & quatuor. Fauces *Symphyti*, caracter vero *Cerinthes.*

ANCHUSA.

LINN. *Gen. plant.* 167.

Corolla infundibuliformis, cujus faux clauditur ſquamis quinque. Semina obtuſa.

1. ANCHUSA foliis lanceolatis, ſpicis imbricatis ſecundis. LINN. *H. Cliff.* p. 46. *Fl. Suec.* 152. *Mat. Med.* 59. *Spec. plant.* p. 133. ROYEN. *Lugdb.* 406. DALIB. *Paris.* p. 59.

Bugloſſum floribus longe ſpicatis. HALL. Helv. p. 523. BOEHM. Lipſ. 22.

Carniol. *Volouski ieſik.*

Habitat in ruderatis & verſuris agri *Labacenſis*, *Lokenſis* &c.

Caulis apex dichotomus. Squamæ corollæ convexæ, pallidiores, oris villoſis.

Tota planta ſucco glutinoſo & ſubacido, ac ſale nitroſo fœta refrigerat unice & convenit in æſtu febrili & ubi humores in putredinem vergunt; principia vero activa quæ debili fibræ debitam elaſticitatem concilient, nulla poſſidet. In tubis corollarum latet nectar apibus expetitum, balſamicæ naturæ.

BORRAGINEM, viribus Medicis *Bugloſſo* ſimilem, de induſtria omitto, cum indigena non ſit.

II. *Co-*

II. *Corolla irregulari.*

ECHIUM.

TOURNEF. *Inſt.* p. 135. *Tab.* 54.

Miſereor huic Generi, ob corollam irregularem, vitio methodi artificialis a ſociis aſperifoliis avulſo, & alieniſſimis ſtirpibus Verbaſco, ſcrophulariæ ac ſimilibus aſſociato.

1. ECHIUM ſpicis lateralibus, foliis lanceolatis hiſpidis.

Echium caule ſimplici erecto, foliis caulinis lanceolatis hiſpidis, floribus ſpicatis lateralibus. LINN. H. Cliff. p. 43. Fl. Svec. 158. ROYEN. Lugdb. 407. DALIB. Paris. p. 61.

Echium foliis lingulatis, hiſpidis, ex ſingulis alis ſpicatum. HALL. Helv. p. 513. BOEHM. Lipſ. 151.

Habitat ad vias & in pratis.

Caulis primo alterove anno ſimplex, dein e baſi ramoſus. Villi in caule bulboſi; bulbis vaginam ſetæ Jungermanniæ quodammodo referentibus. Cæterum *Flos cæruleus* ſi fuerit, ſcapi ſunt cæruleſcentes, ſtamina purpurea, villorum bulbi ſanguinei; ſi *albo ruber* Floris partes unicolores, bulbi villorum flavi; ſi *albus* alba in flore omnia, bulbilli virides.

CLASSIS XXIII.

VERTICILLATÆ.

RAY. HERMAN. BOERHAAV. LINN.

Eſſentialis Character conſiſtit in ſtaminibus quatuor, quorum duo propiora breviora conniventia, cum Piſtilli ſtylo unico, intra corollam inæqualem recepta. LINN. *Gen. plant. Claſſ.* XIV. quo conveniunt cum *Perſonatis*; differunt autem ſeminibus nudis

nudis in sinu calycis tanquam capsula reconditis, inflorescentia, calidiore natura.

I. *Unilabiatæ.*

BUGULA.

HALL. *Helv. p.* 633.

Corolla unilabiata; labio trifido: segmento medio lato, emarginato.

1. BUGULA foliis ovatis, inter flores stipatis, flagellis reptans. HALL. *Helv.* p. 634.

Ajuga stolonibus reptatricibus. LINN. Spec. plant. p. 561.

Teucrium foliis obverse ovatis crenatis, caule simplicissimo, stolonibus reptatricibus. LINN. H. Cliff. p. 301. ROYEN. Lugdb. p. 306. DALIB. Paris. p. 170.

Habitat ad vias & in sterilibus non rara.

Ala 3-5 flora. Flores breviter pedunculati. Corollæ tubus calyce fere duplo longior, postice crassior. Germen villorum corona tectum.

Decoctum Bugulæ sanat fauces ab Anginis contumacioribus suppuratas.

2. BUGULA foliis anguloſe dentatis, caule simplici. HALL. *Helv.* p. 635.

Ajuga tetragono pyramidalis. LINN. Fl. Svec. 475. Mat. Med. 306. Spec. plant. p. 561. DALIB. Paris. p. 169.

Habitat in sylvis, rarior.

Differt habitu, hirsutie, stolonum defectu, corollis minoribus pluribusque. Hanc, pro Consolida media, ponit LINNÆVS, vi medica priori similem.

3. BUGULA foliis trifidis, floribus sparsis in alis foliorum. HALL. *Helv.* p. 634.

Teucrium

Teucrium foliis trifidis, linearibus integerrimis, floribus seſſilibus axillaribus. LINN. H. Upſal. p. 160. Mat. Med. 287. Spec. plant. p. 562.

Teucrium foliis ſimpliciter trifidis. LINN. H. Cliff. p. 301. ROYEN. Lugdb. p. 306. SAUVAG. Monſp. p. 175. DALIB. Paris. p. 173.

Carniol. *Touge Conolle.*

Habitat circa *Labacium*, *Vipaccum* &c.

Labii ſegmentum medium breviſſimum. Semen ovatum, foveolis cicatrizatum. Vi aromatica & emmenagoga plerasque ſocias imitatur. Rheumaticis doloribus medetur infuſum diu & ſæpius uſurpatum.

TEUCRIUM.

LINN. *Species pleræque Chamædris.* HALLERI.

Corolla uniladiata; labio quinquefido: Segmento medio excavato, ſerrato aut crenato.

1. TEUCRIUM foliis oblongis ſeſſilibus dentato-ſerratis, floribus geminis axillaribus, caule diffuſo. LINN. *Spec. plant.* p. 565.

Chamædris foliis ellipticis, ſerratis, mollibus, verticillis inter folia pauciſloris. HALL. Helv. p. 631.

Teucrium foliis ovato-lanceolatis ſerrulatis ſeſſilibus, floribus ſæpius binatis. LINN. H. Cliff. p. 302. Fl. Svec. 476. Mat. Med. 289. ROYEN. Lugdb. p. 306. DALIB. Paris. p. 171.

Chamædris paluſtris, caneſcens, ſeu ſcordium Officinarum. TOURNEF. Inſt. p. 205. VAILLANT. Paris. p. 33.

Habitat in paludoſis circa *Labacium.*

Cadaverum carnes ſcordio incumbentes minime computruiſſe narrat GALENUS de *antidot. L. 1. c. 12.* Odor certe, ſapor & chemica analyſis magnam ſalis volatilis oleoſi copiam ei ineſſe demonſtrant; hinc recte

recte ad gangrænas cohærendas & vitam reddendam partibus semimortuis, externum ejus usum plurimum commendarunt summi Viri HOFFMAN. *de Sphac.* §. 2. BOERHAVIUS ejusque Illustris Commentator Lib. Baro VAN-SWIETEN §. 438.

2. TEUCRIUM foliis ovato-incisis crenatis petiolatis, floribus subverticillatis. LINN. *H. Cliff.* p. 302. *Mat. Med.* 288. *Spec. plant.* p. 565. ROYEN. *Lugdb.* p. 307. DALIB. *Paris.* p. 170.

Chamædris procumbens, foliis solidis, ovatis, rotunde crenatis. HALL. Helv. p. 630.

Carniol. *Sveta Ursha rocha.*

Habitat in siccis, asperis & apricis.

Pedunculi calycibus breviores. Corollæ tubus labio brevior, convergens.

An hæc *Trixago* Veterum, cujus decocto rusticos homines a pleuritide sanari scripsit CELSUS *Lib.* 4. *cap.* 6? Ita censet Eruditissimus TRILLERUS *in Comment. ad eum locum.* ubi saluberrimam plantam vocat, & contra pectoris morbos acutosque dolores egregium usum præstare docet. Sed vis febrifuga, stomachica, pellens, & aromatica indoles, cautos esse jubet Medicos, ne ea facile utantur in morbis ab impetu nimio & caloris augmento productis.

3. TEUCRIUM foliis multifidis, floribus verticillatis utrinque ternis. LINN. *Spec. plant.* p. 562.

Chamædris foliis pinnatis, pinnis obtuse trifidis. HALL. Helv. p. 633.

Teucrium foliis aliquoties trifidis, floribus verticillatis. LINN. H. Cliff. p. 301. ROYEN. Lugdb. p. 306. DALIB. Paris. p. 171. SAUVAG. Monsp. p. 248.

Habitat circa *Idriam* asperrimis in locis.

Caulis dum repit simplex, dein erectus & ramosus. Rami simplices. Folia pinnatifida; pinnis trifidis, bifidis & simplicibus, superne sulco exaratis.

Ala bi-vel triflora. Pedunculus petiolo & calyce brevior. Calyx ventre rugoso. Corollæ tubus calyce brevior; labii segmentum medium subcrenatum.

4. TEUCRIUM foliis cordatis serratis petiolatis, racemis lateralibus secundis, caule erecto. LINN. *Spec. plant.* p. 564.

Chamædris foliis cordatis, scapis floriferis nudis, spicatis, longissimis. HALL. Helv p. 632.

Teucrium foliis cordatis crenatis petiolatis, spicis laxis secundis. LINN. H. Cliff. p. 301. ROYEN. Lugdb. p. 306. DALIB. Paris. p. 171.

Chamædris fruticosa sylvestris, Melissæ folio. TOURNEF. Inst. p. 205. VAILLANT. Paris. p. 33.

Habitat circa *Pelium*, & ad radicem *M. Planinæ*.

Folia salviæ villosa, cordato-oblonga. Racemi laterales, secundi; floribus sursum uno versu tendentibus; pedunculis oppositis, calyce brevioribus, foliolo ovato acuto suffultis. Calyx folio concolor; segmento supremo cordato, erecto. Corolla aquose lutea; segmentis minoribus obtusis; tubo labio longiore, subrubro. Stamina villosa, subrubra. Semina subrotunda.

5. TEUCRIUM corymbo terminali, foliis lanceolatis integerrimis. LINN. *Spec. plant.* p. 565.

Chamædris foliis integris, angustis, ellipticis, subtus incanis. HALL. Helv. p. 632.

Teucrium foliis lanceolatis integerrimis petiolatis, spicis laxis subrotundis. LINN. H. Cliff. p. 302. ROYEN. Lugdb. p. 305. DALIB. Par. p. 172.

Habitat in collibus siccis, sabulosis.

Caulis repens, fruticosus. Folia lanceolato-linearia, subtus albo tomento tecta, crasso nervo. Flores in apicibus ramorum erecti, aggregati, breviter pedunculati, foliolo distincti. Calyx oblongus, non gib-

gibbosus, nec aristatus, subæqualis. Corolla albida; segmento ultimo integerrimo, adscendente; mediis subovatis.

II. *Bilabiatæ.*

SALVIA.

A. *Staminibus duobus.*

LINN. *Gen. plant.* 36.

Filamentorum bifurcatio singularis (TOURNEF. *Tab.* 83. F.) constituit essentialem characterem. LINN. *Syst. Nat.* & *Gen. plant. loc. cit.*

1. SALVIA foliis lanceolato-ovatis integris crenulatis, floribus spicatis, calycibus acutis. LINN. *H. Cliff.* p. 12. *H. Upsal.* p. 10. *Mat. Med.* 13. *Spec. plant.* p. 23. ROYEN. *Lugdb.* p. 307. SAUVAG. *Monsp.* p. 143.

Carniol. *Saibl. Shaubei, Shalvei.*

De hac & *Roremarino* valde dubito indigenas esse, audio tamen nasci in Gartsch, quibus plantis pastæ oves laticaudæ, sapidas & grato odore præditas carnes habent, brevi ad naturalem odorem redituras, si alio pabulo fuerint enutritæ.

Grato & penetrabili aromate quidquid est debile egregrie roborat & mucum dissipat in primis viis collectum, eaque virtus in foliis fortior est quam in floribus. Sed unde venenata salviæ natura notata a PARÆO, MATHIOLO, MEIERO, ipsoque linguæ Italicæ Magistro JOAN. BOCACCIO? credat hisce fabulis nemo mente sana præditus.

2. SALVIA foliis cordato-oblongis serratis: summis amplexicaulibus, verticillis subnudis, corollis galea glutinosis. LINN. *Spec. plant.* p. 25.

Salvia foliis ovato-lanceolatis, serratis, verticillis raris & dissitis. HALL. Helv. p. 638. BOEHM. Lipsi. 81.

Salvia foliis ovato-incisis crenatis, verticillis subnudis. Linn. H. Cliff. p. 12. H. Upsal. p. 10. Fl. Svec. 28. Royen. Lugdb. p. 310.

Carniol. *Dovie Saibl.*

Folia infra ramos petiolata, alibi sessilia. Verticilli sexflori, laxi; bractea simplici, lanceolata. Corollæ galea glutinosa, hirsutula, bifida. Semina nigra.

3. Salvia foliis cordato-sagittatis serratis acutis. Linn. *H. Cliff.* p. 13. *H. Upsal.* p. 11. *Spec. plant.* p. 26. Royen. *Lugdb.* p. 308. Hall. *Helv.* p. 639.

Salvia montana maxima, foliis Hormini, flore flavescente. Tournef. Inst. p. 180. Seguier. Veron. 1. p. 283.

Habitat in sylvis frequens.

Verticilli sexflori. Calyx semiclausus. Corolla flava; labii maculati segmento medio rugoso, lateraliter reflexo; tubo segmentis calycinis inferioribus incumbente, intus hirsuto. Pondera filamentorum pedunculata.

4. Salvia foliis cordatis crenato-dentatis, verticillis subnudis, stylis corollæ labio inferiori incumbentibus. Linn. *H. Upsal.* p. 11. *Spec. plant.* p. 26.

Salvia foliis cordato-sagittatis dentatis. Linn. H. Cliff. p. 495. Royen. Lugdb. p. 309.

Habitat in collibus apricis passim.

Verticilli non raro 40. flori. Flores distincti; pedunculis rubris, semitabida squama suffultis. Calycis angulati & villosi labium superius tridentatum. Corollæ galea ovata, collo stricto.

ROSMARINUS.

Tournef. *Inst. p.* 195. *Tab.* 92.

Corollæ galea bifida. Filamenta simplicia.

1. Ros-

1. ROSMARINUS. LINN. *H. Cliff.* p. 14. *H. Upsal.* p. 11. *Mat. Med.* 16. *Spec. plant.* p. 23. ROYEN. *Lugdb.* p. 310.

Carniol. *Rosmarin.*

Habitat in *Gartsch?* circa *Fiumme*, & inter *Tergestum* ac *Goriziam* versus litora maris.

Particulis volatilibus abundat, quibus partium laxitati & atoniæ, indeque genitis morbis apprime convenit; hinc mira præstat oleum essentiale naribus applicatum in Apoplexia pituitosa, Deliquiis, debilitatibus, intus vero sumptum ad aliquot guttas cum vino optimo, lochiorum & mensium a solidorum laxitate suppressum fluxum, promovet, imo & ipsas tertianas febres sanat, ut expertus est S. PAULI.

LYCOPUS.

TOURNEF. *Inst.* p. 191. *Tab.* 89.

Calyx non labiatus. D. Galea leniter emarginata; labio trifido, serpillaceo A. B.

1. LYCOPUS foliis sinuato-serratis. LINN. *Spec. plant.* p. 21.

Lycopus. MAGNOL. charact. p. 100. LINN. H. Cliff. p. 11. ROYEN. Lugdb. p. 326. HALL. Helv. p. 660. BOEHM. Lipsi. 82.

Pseudomarrubiastrum palustre. RIVIN. Mon. Tab. 21.

Lycopus palustris, glaber, & foliis in profundas laciniias incisis. TOURNEF. Inst. p. 191. SEGUIER. Veron. 1. p. 297.

Habitat in paludosis.

Folia ima profunde, caulina minus laciniata, suprema serrata. Galeæ segmenta reflexa. Calyx aristatis, regularis; foliolo lineari suffultus. Labii segmenta maculata.

B. *Staminibus tribus.*

(*) Calycibus bilabiatis.

SCUTELLARIA.

LINN. *Gen. plant.* 653.

Calyx bifolius; folio ſuperiore ſquamula incumbente aucto, operculum præbente, delapſa corolla, inferiori folio, ſicque capſulæ in modum claudente ſemina.

1. SCUTELLARIA foliis cordato-lanceolatis crenatis. LINN. *Fl. Lapp.* 239. *H. Cliff.* p. 316. *Fl. Suec.* 499. floribus axillaribus. *Spec. plant.* p. 899.

Caſſida foliis lanceolatis ſerratis, floribus binis. BOEHM. Lipſ. 118.

Caſſida foliis cordatis, longe decreſcentibus, ſerratis, floribus gemellis. HALL. Helv. p. 635.

Scutellaria. RIVIN. Mon. Tab. 76. inventor generis.

Caſſida paluſtris vulgatior flore cæruleo. TOURNEF. Inſt. p. 182. BOERHAAV. 1. p. 177. SEGUIER. Veron. ſupplem. p. 130.

Habitat circa aquas.

Amara eſt, allium olet, & viribus ſuis ad ſcordium accedit. HALL. *Helv.* p. 636.

MELISSA.

LINN. *Gen. plant.* 647.

Calycis labium ſuperius tridentatum, reflexo-patens, planum, longius. Labii inferioris corollæ ſegmentum medium cordatum.

1. MELISSA racemis axillaribus verticillatis: pedicellis ſimplicibus. LINN. *Spec. plant.* p. 592.

Meliſſa floribus ex alis inferioribus ſubſeſſilibus. LINN. H. Cliff. p. 307. H. Upſal. p. 163. Mat. Med. 294. ROYEN. Lugdb. p. 320.

Habi-

Habitat circa *Pottquelb*, abunde.

Veriſſima hæc Officinalis Meliſſa ab Arabicis præcipue Medicorum Scholis in uſum Medicum revocata pro cephalicorum & roborantium principe nunc paſſim prædicatur. Ex hac Carmelli Patres ſpiritum parant in excitandis ſpiritibus, firmandisque nervis nulli ſecundum.

THYMUS.

LINN. *Gen. plant.* 646.

Calyx *Meliſſæ*, ſed faux villis clauſa. Corollæ labii ſegmenta integra.

1. THYMUS pedunculis unifloris, foliis ovatis planis, caule repente.

Varietates.

(1) *Thymus* verticillis trifloris, pedunculis ſolitariis unifloris, foliis ovatis planis acutis integris, caule repente.

Nomina ſerpillorum hactenus conſignata, florum magnitudinem, foliorum latitudinem, odorem, pilosque reſpiciunt & unice oſtendunt. *Celeberrimus* HALLERVS congregata ſummo labore ſerpilla omnia hucusque tradita, diſpoſuit in binos ordines, quorum unum minores, aliud vero majores flores exhibet, ciliatis tamen foliis utrumque præditum. Ego vero cum folia viderem modo omnia, modo tantum ſuperiora, modo vero nulla ciliis inſtructa, ac præterea obſervaſſem eamdem varietatem alio anno in alio loco translatam, quoad florum magnitudinem, foliorum figuram & odorem, facile ac perpetuo mutari, Varietates meas ex florum numero unicam alam plerumque occupantium ordinari, cum notam hanc mutationibus non adeo obnoxiam obſervarem. Varietas itaque prima gerit caulem ſuberectum; angulis villoſis. Folia pleraque minime ciliata, ſupra medium conver-

gentia in acutiorem finem. Calycem villoſum. Florem magnum. Stamina galea longiora. Galea ſuperne, labium vero inferne villis pubeſcunt. Cilia dentium calycinorum breviora. Folia ſub verticillis ſupremis ad baſim vix ciliata. Specimen hoc pinxit Vaillantius. Paris. Tab. 32. fig. 8.

(2) *Thymus* verticillis trifloris, pedunculis unifloris, foliis ovatis planis cum caule hirſutis.

Habitat circa *Brod.*

Caulis repens, demum adſcendens. Folia hirſuta, acuta, dentata. Ala triflora. Flores patuli. Pedunculi calyce breviores. Calyx ſubtus ſtrumoſus. Flos violaceus. Eſt *Thymus verticillis in ſummis ramis congeſtis, foliis ovatis & caule hirſutis.* HALL. Helv. p 655.

(3) *Thymus* verticillis trifloris, pedunculis unifloris in capitulum tomentoſum digeſtis, foliis ovatis planis, caule repente.

Habitat cum prioribus, & vitium Inſecti eſt.

Anguli caulini vix piloſi. Folia ovata: baſi ciliata. Floris ſuperficies exterior magis villoſa. Eſt *Variet. δ. Spec.* 1. HALLERI.

(4) *Thymus* verticillis multifloris, pedunculis ſolitariis calyce brevioribus, foliis glabris planis ovatis integris, caule repente.

Habitat circa muros & ſabuloſos colles.

Anguli caulini villoſi. Folia ovata, integerrima, ſub floribus reflexa. Flores in unica ala decem & plures; pedunculis glabris, calyce brevioribus, ad baſim ſetis exiguis obvallatis. Calyx villoſus, non ſtrumoſus, ciliatus. Corolla parva. Hunc exprimit Icon TOURNEF. *Tab.* 93. L. & VAILLANT. *Paris. Tab.* 32. fig. 7.

(5) *Thymus* verticillis multifloris, pedunculis unifloris calyce longioribus, foliis ovatis planis baſi ciliatis, caule repente.

Habitat

Habitat cum prioribus.

Auguli caulini acutiores & piloſi. Flores in una ala 12. Corolla mediocris. Stamina nondum vidi.

Omnes vero conveniunt fruticoſa natura, caule repente, foliis planis; baſi ſæpius ciliatis, odore ſuavi, vi aromatica.

2. THYMUS pedunculis unifloris, foliis ovatis acutis concavis, caule diffuſo.

Thymus verticillis ſexfloris, foliis obſoluſiuſculis concavis ſubſerratis. LINN. Spec. plant p. 591.

Habitat circa *Vipaccum*.

Caulis durus, diffuſus, villoſus. Folia ovata, acuta, concava, ſerrata, patula, ſubtus villoſa, breviter petiolata. Ala triflora. Calyx hirſutus, ſtriatus, ſtrumoſus, petiolo longior. Corolla calyce duplo longior.

3. THYMUS racemis lateralibus ſparſis, corollis calyce triplo longioribus.

Habitat in ſylvis in *Struk* circa *Idriam*, circa *Voiska* abunde, & alibi in *Carniola* frequens.

Caulis, folia & hirſuties Thymi ſequentis. Racemi tri- & quadriflori. Calyx Thymi Acinos LINN. Corolla uncialis & longior, rubra, villoſa; tubo calyce longiore, glabro; ventre tres lineas lato.

4. THYMUS racemis lateralibus ſecundis foliis ovatis ſerratis.

Thymus floribus verticillatis, pedunculis unifloris, caulibus erectis ſubramoſis, foliis acutis ſerratis. LINN. Fl. Svec. 478. Spec plant. p. 591.

Clinopodium verticillis pauciflorис, ab imo ad ſummum diſperſis. HALL. Helv. p. 654.

Habitat in ſterilibus & aſperis, paſſim.

Caulis baſi ramoſus, lignoſus, obtuſangulus, villoſus. Folia villoſa, acuta. Ex qualibet ala pedunculus villoſus, dichotomus, flore intermedio ſolitario.

Calyx ſtrumoſus. Corolla alba, & pallide cærulea, aut rubra; limbo & tubo calycis longitudine.

CLINOPODIUM.

TOURNEF. *Inſt p.* 194. 195. *Tab.* 92.

Calycis labium ſuperius tridentatum. Galea diviſa. A. Labii ſegmentum medium emarginatum. C. Foliola ſub floribus ſetacea. LINN. G. P. & S. N. 562.

1. CLINOPODIUM capitulis ſubrotundis hiſpidis, bracteis ſetaceis. LINN. *Spec. plant.* p. 587.

Clinopodium verticillis denſiſſimis, diſſitis, foliis ex mentha, ovatis, acuminatis. HALL. Helv. p. 653.

Clinopodium foliis ovatis, capitulis vertici latis. LINN. H. Cliff. p. 305. Fl. Svec. 479. ROYEN. Lugdb. p. 813.

Habitat ad ſepes & dumeta.

Omnia villoſa. Caulis obtuſangulus. Folia ſuperne tuberculoſa. Racemi ex una ala bini; floribus capitatis. Calyx curvus, bracteis longior. Corollæ faux villoſa; galeæ latera reflexa; tubus ſubluteus: poſtice tanquam in annulum dilatatus.

ORIGANUM.

LINN. *Gen. plant.* 645.

Bracteæ imbricatæ, diſtinguentes Eſſentiam generis conſtituunt.

1. ORIGANUM ſpicis ſubrotundis paniculatis conglomeratis, bracteis calyce longioribus ovatis. LINN. *Spec. plant.* p. 590.

Origanum ſpicis foliоſis, breviſſimis, coloratis, umbellatis. HALL. Helv. p. 656.

Origa-

Origanum foliis ovatis, ſpicis laxis erectis confertis paniculatim digeſtis. Linn. H. Cliff. p. 305. Fl. Svec. 480. Mat. Med. 299. Royen. Lugdb. p. 223. Boehm. Lipſ. 232.

Carniol. *Dobra miſſu, shinie, volia.*

Habitat in collibus aſperis, apricis frequens.

Pedunculus calyce brevior. Bractea folii figura. Calyx ſeſſilibus glandulis adſperſus, bractea brevior; denticulis coloratis, baſi ciliatis. Galeæ ſegmenta ovata. Stamina e tubo non elata, filamentis corollæ, antheris vero bracteæ concoloribus.

Bracteas minime coloratas, floresque carneos in planta vix pedali reperi in ſylvis circa *Welzam.*

Origani foliis & floribus ad venenatam Agaricorum vim tollendam uſus eſt hucusque feliciter Celſiſſimus quidam S. R. I. Princeps & Epiſcopus, idemque fungorum amator nulli ſecundus.

MELITTIS.

Linn. *Gen. plant.* 650.

Calycis labium ſuperius acutum, integrum; inferius bifidum, brevius. Galea ovata, integra. Labii ſegmenta plana, ſubrotunda; medio majore, crenulato.

1. Melittis. Linn. *H. Cliff.* p. 390. *Spec. plant.* p. 597. Royen. *Lugdb.* p. 319.

Meliſſa. Hall. Helv. p. 650.

Habitat circa *Idriam* & *Labacium* frequens.

Folia ima cordata, ſuperiora ovato-acuta, ſuprema lanceolata. Ala uni & biflora. Flores heteromalli, ſæpius albi. Corollæ labium galea longius, planum, amplum. Filamenta hirſuta. Germina villoſa.

PRU-

PRUNELLA.

RAY. *Meth. emend.* p. 64.

Calycis labium ſuperius quaſi truncatum, tridentatum. Galea inciſa, fornicata. Labii ſegmentum medium concavum, crenulatum. Filamenta bifurca; interiora ramulo antherifero.

1. PRUNELLA foliis ovato-oblongis petiolatis. LINN. *Spec. plant.* p. 600.

Prunella bracteis cordatis. LINN. H. Cliff. p. 316. Fl. Svec. 498. Mat. Med. 309. ROYEN. Lugdb. p. 314.

Habitat in pratis & collibus, frequens.

Recte LINNÆVS Prunellas quatuor Cl. HALLERI conjunxit in unam ſpeciem, cum foliorum diverſitas, & floris magnitudo a varia natalium locorum indole unice pendeant.

Styptica planta eſt, faucibus ulceroſis amica, firmandis Foſſorum noſtrorum ex mercuriali ſalivatione vacillantibus dentibus apta, in dyſenteria denique aliisque ſanguineis excretionibus ſedandis, non inutilis.

(*) *Calycibus ſubæqualibus.*

SATUREIA.

LINN. *Gen. plant.* 626.

Calyx minime labiatus & pervius diſtinguit Genus a *Thymo*.

1. SATUREIA racemis lateralibus ſolitariis, foliis ovatis dentatis.

Habitat in muris circa *Idriam*.

Caulis erectus, lignoſus, obtuſangulus, ruber, glaber, ramoſus. Folia glabra, ovata, laxe dentata. Ala quælibet edit racemulum, folio breviorem, breviter pedunculatum; floribus ſtipatis 6-10. pedicellis foliolo

liolo ſuffultis. Calyx lineatus, non gibboſus, baſi tenuior, nullis pilis inter obtuſos æquales dentes aſſurgentibus. Corollæ tubus baſi tenuior, curvus; labii ſegmentum medium crenulatum; lateralibus ovatis, integris; faux rubris picta maculis; galea ovata, leniter bifida; lateribus reflexis. Stamina majora galea longiora. Odor *ſatureiæ hortenſis*.

2. SATUREIA racemis lateralibus ſolitariis, foliis lanceolato-linearibus punctatis rigidis.

Satureia pedunculis dichotomis lateralibus ſolitariis, foliis mucronatis. LINN. Spec. plant. p. 568.

Satureia foliis linearibus integerrimis. LINN. H. Cliff. p. 308.

Habitat abunde circa *Potquelb*. *Hyſopus* ibi dicta.

Caulis fruteſcens, ſpithamæus, ramoſus. Folia integerrima, glabra, dura; ima reflexa; ſuperiora patula, non ciliata. Ex utraque ala oritur racemus, folio nihilo brevior, ramoſus; ramis trifloris, pedunculis foliolo ſuffultis. Calycis denticuli acutiores, villoſi. Corollæ tubus calyce brevior, rectus. Antheræ galeæ concolores, conniventes.

Ad menſium fluxum promovendum experti laudant Incolæ.

BETONICA.

Calyx & Corolla *Sideritidis*, ſed verticilla foliolis flores diſtinguentibus inſtructa.

1. BETONICA alis trifloris, foliis lanceolato-linearibus ſeſſilibus dentatis.

Habitat in *agro Vipacenſi*, ad vias.

Planta pedalis, fere glabra, ramoſa; ramis decreſcentibus. Folia prædicta. Alæ primæ trifloræ. Flores ſeſſiles. Calyx glaber, ariſtatus; bracteis binis linearibus, ariſtatis. Corolla rubra, tubo calyce longiore, bracteis breviore, cylindrico, pallidiore, recto; Galea

Galea oblonga, tubo parallela, apice attenuata, bifida; Galeæ ſegmenta ſerrulata, galea latiora: medio latitudine ſua galeæ longitudinem ſuperante; fauce binis, conjunctis, albis maculis picta; prope quam minores aliæ ſubluteæ & confluentes adſunt.

2. BETONICA alis ſeptemfloris, foliis imis petiolatis rugoſis ovatis crenatis.

Betonica ſpica interrupta, corollarum lacinia labii intermedia emarginata. ROYEN. Lugdb. p. 316. LINN. Fl. Svec. 487. H. Upſal. p. 164. Spec. plant. p. 573.

Betonica foliis inter verticillos in vertice congeſtos breviſſimis & integris. HALL. Helv. p. 646. BOEHM. Lipſ. 120.

Carniol. *Bethonica*, ex Italico nomine *Betonica.*

Folia ſub verticillis ſubariſtata, calycum longitudine. Calycis rubri, regularis, ſubariſtati, villoſi, os ventre nihilo amplior, galea & labio brevior. Corolla rubra; galea reflexa, bifida. Labii ſegmentum medium ſerratum, bifidum; tubus incurvus, baſi glaber & albicans. Filamenta hirſuta.

Radix recens alvum movet, folia vero errhina ſunt; acris ergo eſt planta, firmandisque nervis idonea, quos mucci copia aut ſeroſa colluvies relaxavit, non ergo vis cephalica imaginaria ſed vere realis eſt, quam mecum plurimi & ſæpius experti ſunt.

3. BETONICA alis multifloris, foliis petiolatis cordatis crenatis.

Habitat in collibus ſiccis & aſperis non rara.

Caulis obtuſangulus, cubitalis, ſimplex, villoſus, foliis concolor. Folia caulina duo, aut unicum. Ala quælibet flores uſque decem gerit. Calyx ſeſſilis, hirſutus, ſubinæqualis, tubuloſus. Corolla ochroleuca; galea acuta, bifida: laciniis reflexis; labio galea nihilo longiore, ſegmentis lateralibus acutis, medio ovato.

SIDE-

SIDERITIS.

Sideritidem non alia evidenti nota a *Betonica* differre video, quam floribus seu calycibus nullo folio distinguente bracteatis. Hinc tantam inter utrumque Genus adfinitatem LUDWIGIVS adgnovit perspicax, ut in unicum conjungi posse existimaverit. *Defin. Gen.* 203.

1. SIDERITIS alis quinquefloris, galea crenulata.

Betonica verticillata, calycibus spinosis. LINN. H. Upsal. p. 165. Spec. plant. p. 573.

Betonica foliis inter verticillos dissitos brevibus, in aristam terminatis. HALL. Helv. p. 646.

Habitat in herbidis, sterilibus, apricis.

Folia subsessilia, oblonga, rugosa, crenata, aristata. Verticilli quinqueflori. Flores absque bracteis. Calyx æqualis, aristatus, villosus. Corolla pallide flava; galeæ apice crenato, deflexo; labii segmento medio emarginato; tubo recto, glabro. Filamenta purpurea.

STACHYS.

Galea integerrima, & stamina pilosa characterem essentialem constituunt quo differt a *Betonica* & *Sideritide*.

1. STACHYS verticillis trifloris, foliis lanceolatis.

Habitat in ruderatis.

Folia lanceolata, sessilia, crenata, rugosa, villosa. Ala triflora. Flores sessiles, nudi. Calyx villosus, subruber, subaristatus, villis aqueo capitulo terminatis pubescens, regularis. Corolla rubra; galea villosa, obtusa, tubo parallela; barba maculata, longiore; lacinia media obiter emarginata; tubo quasi calcarato, convergente, intus villoso, angulum rectum cum labio faciente.

2. STACHYS verticillis sexfloris, foliis cordatis petiolatis. LINN. *Fl. Suec.* 489. *Spec. plant.* p. 580. DALIB. *Par.* p. 180.

Stachys

Stachys foliis cordatis acuminatis petiolatis, floribus laxe spicatis. Linn. H. Cliff. p. 309. Royen. Lugdb. p. 317. Hall. Helv. p. 642. Boehm. Lipſ. 112.

Galeopſis procerior, fœtida, ſylvatica. Tournef. Inſt. p. 184.

Habitat ad radices montium, aſperis in locis, & circa hortos.

Corolla fuſco-rubra; galea inferius ſtricta, labio longiore; labio ad angulum acutum cum tubo candicante & quaſi calcarato poſitum. Stamina majora extra galeam divergentia.

3. Stachys verticillis multifloris, foliorum ſerraturis apice cartilagineis. Linn. *Spec. plant.* p. 581.

Stachys verticillis duodecim floris, caule villoſo. Linn. H. Upſal. p. 170.

Stachys foliis hirſutis, ſpicas diſtinguentibus, obſcuri coloris, imis cordiformibus. Hall. Helv. p. 642.

Stachys foliis lanceolato-ovatis, baſi emarginatis, verticillis tomentoſis. Linn. H. Cliff. p. 301. Royen. Lugdb. p. 317. Dalib. Par. p. 180.

Habitat circa vias, & ſaxoſa ſylvarum loca.

Folia cordata, ſerrata. Verticilli ſæpius 14. flori. Flores foliolis inæqualibus exiguis bracteati. Calyx decemſtriatus, virens, inæqualis, ariſtatus. Corolla ſordide rubra; galea ſubacuta, ſuperne barbata; labii laciniæ laterales obtuſæ, media emarginata ſubrotunda; tubus albicans, calyce longior, ad angulum obtuſum cum eo poſitus. Semina nitida.

4. Stachys verticillis multifloris, foliorum ſerraturis imbricatis. Linn. *Spec. plant.* p. 581.

Stachys verticillis quadragintafloris, caule lanato. Linn. H. Upſal. p. 170.

Stachys foliis tomentoſis, albis, verticillis denſiſſimis ad baſim exſectis, longe decreſcentibus. Hall. Helv. p. 643.

Sta-

Stachys foliis oblongo-cordatis, floribus verticillatis. Linn. H. Cliff. p. 309. Royen. Lugdb. p. 317. Dalib. Paris. p. 179. Boehm. Lipſ. 111. Habit circa *Labacium.*

Singularis lanuginoſa facies. Verticilli floribus ultra triginta fœti.

GLECHOMA.

Linn. *Gen. plant.* 634.

Corolla *Calaminthæ* Tournefortii. Calycis dentes bini inferiores Ludwig. *Defin. gen.* 219. Antherarum par quodlibet in crucis formam connivens. Linn. *Syſt. Nat.* l. c.

1. Glechoma foliis reniformibus crenatis. Linn. *H. Cliff.* p. 307. *Fl. Svec.* 483. *Mat. Med.* 303. *Spec. plant.* p. 578. Royen. *Lugdb.* p. 320.

Chamæclema caulibus procumbentibus, radicatis, foliis cordiformibus, petiolatis. Hall. Helv. p. 652. Boehm. Lipſ. 131.

Carniol. *Smarn. Slak.*

Habitat ad ſepes paſſim.

Flores heteromali, racemoſi; racemo trifloro: pedunculis ex eodem plano horizantali, ſetam utrinque emittente, prodeuntibus. Bracteæ lineares pedunculis lateralibus nec non ramoſis adſident; medius vero nudus eſt & perpetuo ſimplex. Calyx ſtriis 16. inæqualis. Corollæ labii laciniæ laterales ſegmentis galeæ ſimiles; tubus albus, calyce brevior.

Viribus Medicis *Scabioſam* ſequitur & *Pulmonariam*, partes nempe ſolidas pure gravatas expedit eroſaque conſolidat, acre etiam obtundit vellicans renes, inteſtina, pectus.

LAMIUM

Lamium, Galeopſis, Ballota conveniunt calyce tubulato, ſubæquali; Corollæ galea integra; Labio trifido,

fido, lacinia media emarginata. Ergo ut Genera distinguantur statuo essentiam *Lamii* in denticulis, qui e lateribus labii prope faucem oriuntur, cavitate carentibus.

1. LAMIUM foliis cordatis petiolatis, corollæ galea integerrima tubo breviore.

Lamium foliis cordatis, obtusis, in summo caule congestis. HALL. Helv. p. 641. BOEHM. Lipsi. 314.

Lamium foliis cordatis obtusis petiolatis. LINN. H. Cliff. p. 314. Fl. Svec. 494. Spec. plant. p. 579. ROYEN. Lugdb. p. 319. DALIB. Paris p. 179.

Habitat in hortis & agris nimium frequens.

Folia obtusiuscula, cordato-subrotunda. Corollæ labii segmenta lateralia acuminata, denticulorum longitudine; medium galea brevius; tubus rectus, cylindricus, calyce duplo longior. Floris color ruber, raro albus. Antherarum pollen fulvus.

2. LAMIUM foliis cordatis petiolatis, corollæ galea crenulata tubi longitudine.

Lamium foliis dissitis, cordatis, acutis. HALL. Helv. p. 640. BOEHM. Lipsi. 107.

Lamium foliis cordatis acuminatis serratis petiolatis. LINN. H. Cliff. p. 314. Fl. Svec. 493. Mat. Med. 307. Spec. plant. p. 579. ROYEN. Lugdb. p. 319. DALIB. Paris p. 178.

Carniol. *Mertuive coprive.*

Habitat ad sepes & vias.

Folia acuminata, longa. Corolla uncialis; galea calycibus longiore; labii crenulati, maculati, plicati, segmenta lateralia reflexa, denticulis breviora, tubo postice tenuiore, curvulo. Filamenta villis glanduloſis adsperſa.

Utilitatem Medicam nullam hactenus obſervavi.

3. LA-

3. LAMIUM foliis imis petiolatis, superioribus sessilibus amplexicaulibus.

Lamium foliis superioribus amplexicaulibus incisis. HALL. Helv. p. 641. BOEHM. Lipſ. 105.

Lamium foliis floralibus sessilibus amplexicaulibus. LINN. H. Cliff. p. 314. Fl. Svec. 495. Spec. plant. p. 579. ROYEN. Lugdb. p. 319.

Habitat in muris circa hortos.

Verticilli 8-9. flori. Calyx regularis. Corollæ galea calycibus nihilo longior. Labii laciniæ laterales patulæ; tubus calyce duplo longior, rectus, cylindricus.

4. LAMIUM foliis cordatis petiolatis, corollæ galea serrata tubo longiore.

Habitat in pratis circa *Idriam*, frequens.

Caules cubitales, fistulosi, erecti, obtusanguli. Folia ampla, cordata, petiolata, venosa, serrata. Ala 5-& 7. flora. Calyces sessiles, quorum laterales tribus foliolis linearibus bracteati sunt, medius vero nudus. Calyx gibbosus, patens, non aristatus; margine & nervis dentium hispidis. Corolla magna; galea arcuata, villosa, serrulata, tubo longiore; labii segmentis lateralibus reflexis, tridentatis: medio emarginato, serrato, maculato, plicato; tubo albo, cylindraceo, recto; fauce ampla, lineis rubris picta; coloris pallide rubri. Filamenta pilis aqueis, sæpius capitatis pubescentia.

GALEOPSIS.

Differt a *Lamio*, denticulis labii inferioris cavitate donatis.

1. GALEOPIS internodiis superne incrassatis, verticillis summis subcontiguis. LINN. *Spec. plant.* p. 579.

Varietates.

(a) *Galeopsis* internodiis superne incrassatis, verticillis summis subcontiguis, corollis calyce duplo longioribus.

Galeopsis foliis & fulcrato caule hispidis, flore duplo calyce longiore. Hall. Helv. p. 644. Boehm. Lipſ. 109.

Galeopsis ramis summis strigosis. Linn. H. Cliff. p. 314. Fl. Svec. 491. Royen. Lugdb. p. 319. Dalib. Paris. p. 181.

Galeopsis procerior, calyculis aculeatis. Tournef. Paris. p. 450. *Flore purpurascente.* Inſt. p. 185. Vaillant. Paris p. 77.

Habitat in ruderatis.

Flores in uno verticillo 24-28. Labii laciniæ quadratæ.

(b) *Galeopsis* internodiis superne incrassatis, verticillis summis subcontiguis, corollis calyce quadruplo longioribus.

Galeopsis foliis & fulcrato caule hispidis, flore calyce quadruplo longiore, bicolore. Hall. Helv. p. 644. Boehm. Lipſ. 110.

Galeopsis corolla flava, labio inferiore maculato. Linn. Fl. Lapp. 193.

Cannabina flore magno, luteo, labiis purpureis. Boerhav. 1. p. 159.

Cannabis spuria flore majore. Rivin. Mon. Tab. 32.

Habitat cum priore.

Flores in uno verticillo 12-20. Calyx aristatus, villosus. Corollæ labii segmentum medium cordatum, violaceum; lateralia alba, violaceis maculis notata, obtusa; Faux flava, violaceis lineis; galea villosa, flava, apice serrata.

BAL-

BALLOTA.

Differt a *Lamio* & *Galeopside* defectu denticulorum inferioris.

1. BALLOTA foliis cordatis indivisis serratis. LINN. *Fl. Svec.* 484. *Spec. plant.* p. 582.

Habitat in ruderatis.

Corollæ galea integra, labio brevior.

LEONURUS.

LINN. *Gen. plant.* 641.

Calyx cylindraceo-angulatus. Galea integerrima, barbata. Labii segmenta acuta, fere æqualia.

1. LEONURUS foliis trilobis: lobis acutis.

Leonurus foliis caulinis lanceolatis trilobis. LINN. H. Cliff. p. 313. Fl. Svec. 496. Mat. Med. 308. Spec. plant. p. 584. ROYEN. Lugdb. p. 312. DALIB. Paris. p. 182.

Cardiaca foliis trilobatis. HALL. Helv. p. 640.

Habitat in ruderatis.

Caulis fistulosus. Flores sessiles, 7-9. in uno verticillo. Calyx patens, aristatus. Corolla pallide rosea; galea villosissima, tubi longitudine; tubo ad originem staminum clauso corona villorum conniventium.

Medetur puerorum cardialgiis ab inflatione & distensione hypochondriorum prodest ergo quando pituita ventriculum obsidet. GEOFFROY. *Mat. Med.* HALL. *Helv. l. c.*

2. LEONURUS foliis cordatis.

Cardiaca foliis cordiformibus. HALL. Helv. p. 640.

Galeopsis verticillis sexfloris: involucro tetraphyllo. LINN. Spec. plant. p. 580.

Leonurus foliis ovatis serratis acutis. Linn. H. Cliff. p. 313. Fl. Svec. 497. Royen. Lugdb. p. 310. Dalib. Paris. p. 182.

Galeobdolon. Dillen. Giss. p. 49. Seguier. Veron. 1. p. 292.

Habitat in sylvis.

Flores usque novem in uno verticillo. Calyx muticus, segmentis antequam corolla explicata fuerit, patentissimis & fere reflexis, dein vero erectioribus. Corolla lutea; galea ovata, erecta, ciliata, labio & tubo longiore; labio propendente, reflexo, maculato; tubo rubore quodam suffuso. Filamenta paucis, apitalis pilis adspersa. Stylus purpureus.

MARRUBIUM.

Linn. *Gen. plant.* 640.

Calyx quinque majoribus totidemque minoribus denticulis coronatus. Galeæ bifidæ segmenta acuta.

1. Marrubium dentibus calycinis setaceis uncinatis. Linn. *H. Cliff.* p. 342. *Fl. Svec.* 485. *Mat. Med.* 305. *Spec. plant.* p. 583. Royen. *Lugdb.* p. 315. Hall. *Helv.* p. 648. Boehm. *Lipsi.* 127.

Habitat in ruderatis & secus vias *agri Vipacensis.*

Flores usque 40. in uno verticillo. Calycis faux villis semiclausa.

Menses suppressos promovet, quos debilitas vasorum, visciditas humorum, & languida circulatio retinuit.

NEPETA.

Linn. *Gen. plant.* 629.

Calyx sublabiatus. Corollæ labii segmentum medium concavum, crenatum, integrum.

1. Nepeta floribus spicatis, verticillis subpedicellatis, foliis petiolatis cordatis dentato-serratis. Linn. *Spec. plant.* p. 570.

Cattaria

Cattaria foliis cordatis, petiolatis, verticillis spicatis. HALL. Helv. p. 649. BOEHM. Lipſ. 123.

Nepeta floribus interrupte ſpicatis pedunculatis. LINN. H. Cliff. p. 310. H. Upſal. p. 163. Fl. Svec. 486. ROYEN. Lugdb. p. 316. DALIB. Paris. p. 116.

Cattaria major vulgaris. TOURNEF. Inſt. p. 202. BOERHAV. 1. p. 174. SEGUIER. Veron. 1. p. 314.

Carniol. *Matschena ſeele.*

Habitat in ruderatis & ad ſepes.

Folia cordata, mollia, fere in ſpinulam deſinentia; petiolis pedunculo brevioribus. Racemi laterales, ſolitarii. Flores heteromali. Calyx villoſus: villis minime capitatis, ſulcis quinque ex quolibet dente deorſum decurrentibus. Galea obcordata. Labium maculatum.

Vi emmenagoga *Marrubio* accedit.

MENTHA.

TOURNEF. *Inſt. p.* 188. *Tab.* 89.

Calycis denticuli inferiores ſibi invicem magis accedentes. Corolla quadrifida; tubo recto.

1. MENTHA floribus ſpicatis, foliis oblongis ſerratis. LINN. *H. Upſal.* p 188. *Spec. plant.* p. 576.

Mentha foliis elliptico-lanceolatis, verticillis in ſpicam nudam congeſtis. HALL. Helv. p. 658.

Carniol. *Metha*, paſſim in aquoſis naſcens.

Verticilli nudi. Pedunculi corollis breviores. Stamina flore longiora.

2. MENTHA floribus verticillatis, foliis ovato-obtuſis ſubcrenatis, caulibus ſubteretibus repentibus. LINN. *H. Cliff.* p. 307. *Mat. Med.* 280. *Spec. plant.* p. 577. ROYEN *Lugdb.* p. 326. DALIB. *Paris.* p. 178.

Pulegium foliis ſubrotundis, verticillatis, nudis. HALL. Helv. p. 659.

Habitat circa *Labacium ſuperius.*

3. MENTHA floribus lateralibus glomeratis, foliis ovatis ſerratis, ſtaminibus corolla longioribus.

Mentha floribus capitatis, foliis ovatis ſerratis petiolatis, ſtaminibus corolla longioribus. LINN. H. Cliff. p. 306. Fl. Svec. 482. Spec. plant. p. 576. ROYEN. Lugdb. p. 325. DALIB. Paris. p. 177.

Mentha foliis ovato lanceolatis, verticillis paucis, ſupremo maximo. HALL. Helv. p. 658.

Habitat in aquoſis.

Rami patentes. Folia villoſa, ſubſeſſilia. Alæ etiam 30. floræ. Pedunculi ſolitarii, rubelli, calycis longitudine.

Sal acre, quo ſcatent Menthæ, & penetrabile aroma, collapſas fibras efficaciter erigit; ſpontaneis ciborum & potuum corruptionibus, imprimis vero acidæ acrimoniæ reſiſtit; hinc flatus diſpellit, vermes non raro necat, & epithematis forma ventriculo applicata planta, cruditatum vomitum ſalubrem quandoque producit; cumque pueri ob viſcerum debilitatem & copiam ingeſtorum, lumbricis, cruditatibus & acrimoniis obnoxii eſſe ſoleant, unde tuſſes illæ ſiccæ & convulſivæ non raro oriuntur, ſic mirum non eſt Menthas ac præcipue Pulegium in ſucco aut infuſo cum ſacharo vel melle ſumptum toties profuiſſe. Verumtamen non eadem efficaciæ omnibus Menthis ineſt; criſpa enim vi aromatica & roborante reliquas ſuperat; ſylveſtris minus fragrans & magis adſtringens eſt; Pulegium vero fortius, emmenagogum, & adeo acre deprehenditur, ut externe recens applicatum cutim rubefaciat ac fere corrodat.

VER-

VERBENA.

TOURNEF. *Inſt.* p. 200. *Tab.* 94.

Calycis denticulus ſupremus reliquis brevior. Corollæ tubus curvus.

1. VERBENA tetrandra, ſpicis filiformibus paniculatis, foliis multifido laciniatis, caule ſolitario. LINN. *Spec. plant.* p. 20.

Verbena foliis laciniatis, ſuperioribus tripartitis, ſpicis anguſtis, longiſſimis. HALL. Helv. p. 661. BOEHM. Lipſ. 133.

Verbena foliis multifido-laciniatis, ſpicis filiformibus. LINN. H. Cliff. p. 11. Fl. Svec. 26. ROYEN. Lugdb. p. 327. DALIB. Paris. p. 9. SAUVAG. Monſp. p. 269.

Carniol. *Sporisch.*

Habitat in ruderatis frequens.

Ab indole verticillatarum ſenſim recedens flores in ſpicas diſponit & hæc quidem quaternarium Claſſi naturalem ſtaminum numerum, reliquæ autem ſpecies non omnes obſervant. Præterea huic anguli in caule ſcabri. Calyx capitatis villis adſperſus, bracteola ſuſtentatus. Stamina intra corollæ tubum villoſum. Corollæ faux villis ornata. Vires ſenſibus vix manifeſtæ ſunt. Ego non ſemel recenti planta trita, & ſola aut cum radice Bryoniæ, tumores viſcerum abdominalium, præſertim vero Lienis, a febribus periodicis autumnalibus neglectis aut male tractatis ortos, extus appoſita diſſipavi.

CLASSIS XXIV.

PERSONATÆ.

Character eſſentialis idem, qui in *Verticillatis*, a quibus differunt limbo corollæ peculiariter figurato, nec non ſeminibus capſula propria, ſeu fructu

ſicco incluſis. Floribus minime verticillatis. Ingenio minus aromatico.

I. *Capſula uniloculari.*

OROBANCHE.

TOURNEF. *Inſt. p.* 175. *Tab.* 81.

Calyx quadrifidus, tetraphyllo ſimilis. Corolla immarceſcens; galea bifida; barba trifida A, ſegmentis æqualibus. Capſula oblonga, acuminata O, unilocularis, bivalvis E; ſeminibus orchidæis.

1. OROBANCHE caule ſimpliciſſimo, ſtaminibus incluſis. LINN. *Spec. plant.* p. 632.

Orobanche caule ſimplici, albido, foliis ſub flore longioribus. HALL. Helv. p. 610.

Orobanche caule ſimpliciſſimo. LINN. H. Cliff. p. 321. Fl. Svec. 519. ROYEN. Lugdb. p. 299. DALIB. Paris p. 190.

Habitat in ſylvis, non rara.

Flores ſpicati, ſeſſiles, concolores ſcapo aphyllo, ſquammoſo, hirſuto, alba medulla prædito. Corollæ ſegmenta ſubrotunda, denticulata, venoſa. Stigma cordiforme, deflexum, craſſum, papilloſum, obſcure rubrum.

PINGVICULA.

TOURNEF. *Inſt. p.* 167. *Tab.* 74.

Calyx bilabiatus; labio ſuperiore trifido, inferiore bifido. Corolla calcarata C. Stamina duo. Stigma ſerrulatum. Capſula ovata, bivalvis. Semina cylindracea.

1. PINGVICULA nectario conico petalo breviore. LINN. *Fl. Lapp.* 12. *Fl. Svec.* 22. *Spec. plant.* p. 17.

Pingvicula calcare lato, conico, flore albo. HALL. Helv. p. 612.

Habitat

Habitat circa *Idriam* prope *Bruschische.*

Scapus nudus, villis capitatis mucoriformibus adſperſus. Corolla alba; calcare flavo, quaſi bifido. Filamenta non bifida, antheris ſtigmate tectis, e cujus ſuperiore loco ariſta brevis oritur. Germen villis capitatis inſtructum. Stigma hemiſphæricum, album.

II. *Capſula biloculari.*

ANTIRRHINUM.

LINN. *Gen. plant.* 668.

Calyx quinquefidus TOURNEF. LUDWIG. LINN. quinquefolius HALL. irregularis. Corollæ labia conniventia; faux clauſa duplici tumore. Capſula vario modo dehiſcens, effundens ſemina reniformia, ſepto affixa.

1. ANTIRRHINUM racemis terminalibus, foliis verticillatis, caule diffuſo.

Antirrhinum caule procumbente, foliis verticillatis quaternis, floribus racemoſis. HALL. Helv. p. 614.

Antirrhinum foliis ſubquaternis linearibus, caule diffuſo, floribus racemoſis. ROYEN. Lugdb. p. 297. LINN. Spec. plant. p. 615.

Habitat in M. *Storschitsch.*

Caules teretes, humifuſi, glabri. Calycis laciniæ lineares; una longiore. Pedunculi calyce & folio breviores. Corollæ labium ſuperius ſemibifidum; cornu rectum, convergens. Antheræ flavæ. Capſula ſubrotunda.

2. ANTIRRHINUM racemis terminalibus, floribus imbricatis, foliis linearibus confertis.

Antirrhinum foliis lanceolato-linearibus confertis, caule erecto, ſpicis terminalibus ſeſſilibus, floribus imbricatis. LINN. Fl. Svec. 501. Mat. Med. 313. Spec. plant. p. 616.

Antirrhi-

Antirrhinum foliis linearibus, adscendentibus, congestis, ramis spica florali densa terminatis. Hall. Helv. p. 614. Boehm. Lipſ. 143.

Habitat in ſterilibus & hortis.

Racemi terminales. Flores flavi. Cornu acutiſſimum. Capſula ſubovata; valvis trifidis. Semina in uno loculo ad 60.

Unguentum *de Linaria* ad ani varices utile eſt, a plantæ vero uſu interno tutius abſtinendum eſt.

3. Antirrhinum floribus ſolitariis, foliis ſublinearibus alternis obtuſis.

Antirrhinum foliis longis, obtuſis, viſcidis, caule erecto ramoſiſſimo, calcare brevi. Hall. Helv. p. 615.

Antirrhinum foliis lanceolatis obtuſis alternis, caule ramoſiſſimo diffuſo. Linn. H. Cliff. p. 324. Fl. Svec. 502. Spec. plant. p. 617. Royen. Lugdb. p. 295.

Linaria pumila, vulgatior, arvenſis. Tournef. Inſt. p. 169. Seguier. Veron. 1. p. 263.

Habitat in arenoſis ſterilibus.

Caulis hirſutus, erectus. Rami alterni, multi. Folia breviter petiolata, linearia. Pedunculi ſolitarii, folio breviores. Calycis laciniæ lineares. Filamenta ad baſim villoſa. Capſula villoſa, foveolis pluribus cicatrizata.

4. Antirrhinum floribus ſolitariis, foliis quinquelobis alternis cordatis.

Antirrhinum foliis alternis, quinquelobis. Hall. Helv. p. 613.

Antirrhinum foliis cordatis quinquelobis alternis. Linn. H. Cliff. p. 32. H. Upſal. p. 175. Spec. plant. p. 613.

Habitat in muris antiquis.

Foliorum lobi acuminati. Pedunculi non raro bini ex eadem ala, petiolis breviores. Semina decem in unico loculo.

SCRO-

SCROPHULARIA.

TOURNEF. *Inſt. p. 166. Tab. 74.*

Calyx quinquefidus. Corollæ tubus ventricoſus. Capſula ſubrotunda, bivalvis L. Semina receptaculo diſſepienti affixa N. O.

1. SCROPHULARIA foliis cordatis: baſi transverſis, caule obtuſangulo. LINN. *Spec. plant.* p. 619.

Scrophularia foliis cordatis, conjugatis, caule & ramis ſpica nuda, paniculata terminatis. HALL. Helv. p. 619.

Scrophularia foliis cordatis, racemo terminali. LINN. H. Cliff. p. 322. Fl. Svec. 520. Mat. Med. 310. ROYEN. Lugdb. p. 293. DALIB. Paris. p. 191. BOEHM. Lipſ. 149.

Habitat ad vias & ruderata; *Tshernaben* dicta.

Folia cordata, baſi obtuſa, glabra, plana. Racemi plures, facti corymbis oppoſitis & alternis: primis ſeptemfloris; ultimis bifloris. Filamenta villis capitatis adſperſa; capitulis rubris, dein aqueis.

Frigidos colli tumores pulvere radicis cum cera & ſapone Veneto in emplaſtri formam redacto, ſæpius debellavi. Decoctum foliorum ſcabie obſeſſos artus mundat.

2. SCROPHULARIA foliis cordatis rugoſis, caule paniculato.

Habitat in Alpibus *Carniolæ ſuperioris.*

Folia minora cordata, hirſuta & rugoſa. Segmentum medium labii corollæ minus.

3. SCROPHULARIA foliis cordatis, pedunculis axillaribus ſolitariis dichotomis. LINN. *H. Cliff.* p. 322. *H. Upſal.* p. 177. *Spec. plant.* p. 620. ROYEN. *Lugdb.* p. 293.

Scrophularia foliis conjugatis, cordatis, profunde inciſis, petiolis multifloris, ex alis foliorum prodeuntibus. HALL. Helv. p. 619.

Habi-

Habitat in *M. Anas.*

Corolla flava. Folia lata, incisa, cordata.

4. SCROPHULARIA foliis pinnatis, caule paniculato.

Scrophularia, foliis pinnatis, racemo terminali nudo, pedunculis bifidis. LINN. Virid. Cliff. p. 61. H. Cliff. p. 322. Spec. plant. p. 621. ROYEN. Lugdb. p. 294.

Scrophularia foliis pinnatis, ramis paniculata spica terminatis. HALL. Helv. p. 620.

Habitat circa VIPACCUM.

Folia alterna, pinnata, pallida; costa canaliculata; pinnis alternis, glabris, incisis. dentatis, apice dilatatis. Racemi breves, semel ramosi, pedunculis bifloris; flore intermedio. Calycis segmenta ovata, oris albis. Corolla atro-purpurea, fundo albo. Filamenta glandulosa. Antherarum pollen aureus.

DIGITALIS.

TOURNEF. *Inst. p.* 163. *Tab.* 73.

Calyx quinquefidus, irregularis. Corolla quasi campanulata A; tubo inferius ventricoso C. Capsula oblonga, acuminata. Receptaculis dissepientibus.

1. DIGITALIS calycinis foliolis lanceolatis, corollis acutis, labio superiore bifido. LINN. *H. Upsal.* p. 178. *Spec. plant.* p. 622.

Digitalis foliis caulinis acutis, flore venoso, maculoso. HALL. Helv. p. 617.

Digitalis foliis caulinis subulatis, floribus imbricatis. LINN. H. Cliff. p. 318. ROYEN. Lugdb. p. 293. DALIB. Paris. p. 192.

Habitat in asperis saxosisque locis.

Caulis simplex. Folia sessilia, lanceolata, villosa. Calycis segmenta acuta, reflexa. Corollæ pendulæ. Stamina basi curva ut in Scrophularia. Capsulæ erectæ, hirsutæ, quadrisulcæ.

LINNÆVS

Linnæus hanc plantam ab omnibus fere Botanicis Digitalem dictam, eodem nomine proposuit, licet digitalis œconomicum plurium Artificum sit instrumentum. *Phil. Bot.* 231.

GRATIOLA.

Ray. *Meth. emend.* p. 93.

Corollæ tubus angulatus, calyce longior. Stamina duo tantum antherifera. Linn. *Gen. plant.* 25.

1. Gratiola floribus pedunculatis, foliis lanceolatis serratis. Linn. *Mat. Med.* 18. *Spec. plant.* p. 17.

Carniol. *Granzolle. Trenk.*

Habitat in pratis paludosis, passim.

Folia trinervia, marginibus reflexis, apicibus dentatis. Pedunculi solitarii, folio breviores. Foliola duo linearia, integerrima, divaricata sub calyce. Corollæ tubus flavus, striatus, angulato-plicatus, sursum curvus, foliolis sub calyce longior; limbus subruber, fauce villosa. Capsula calycis longitudine. Vi sursum & deorsum purgante infamis & notissima planta, Rusticis præsertim, quorum dura illa frangi sibi potius familiaribus hisce drasticis optant, quam ad mitia comparanda obulum crumenæ demere. Urbanis hominibus usum dissuadeo, imo & omnibus quibus viscera labefactata sunt.

PEDICULARIS.

Hall. *Helv.* p. 620.

Calyx monophyllus, inæqualiter quinquedentatus. Corolla valde hians Tournef. Tab. 77. A. galea rostrata; labio trifido, segmentis subrotundis: medio minore C. Capsula compressa, mucrone sæpius obliquo H. Semina angulosa.

1. Pe-

1. PEDICULARIS caule ſimplici, calycibus crenatis, corollis galea roſtrato-aduncis. LINN. *Spec. plant.* p. 610.

Pedicularis alpina, foliis alternis, pinnatis, pinnulis pinnatis, floribus ochroleucis, roſtratis, in ſpicam congeſtis. HALL. Helv. p. 620. Tab. 15.

Habitat in Alpibus *Carinthiæ* finitimis.

Folia radicalia pinnata; pinnis alternis, apicibus imbricatis, laciniatis, ſubtus venoſis, marginibus reflexis. Calyx decem angulis hirſutis, & ſegmentis crenatis præditus. Spica denſa. Pedunculi calycis longitudine. Corolla ochroleuca & purpurea; galea deflexa, ad latus verſa, acuta; labio amplo; ſegmentis integerrimis. Filamenta ſupra medium villoſa.

2. PEDICULARIS caule ramoſo erecto, calyce bifido. HALL. *Helv.* p. 621. BOEHM. *Lipſ.* 136. LINN. *Fl. Svec.* 505.

Pedicularis caule ramoſo, calycibus calloſo-punctatis, corollis labio obliquis. LINN. Mat. Med. 314. Spec. plant. p. 607.

Habitat in paludoſis *agri Labacenſis.*

Implacidam & omnino ſuſpectam ſociorum indolem poſſidet. Ulceribus tamen ſanioſis & calloſis mederi dicitur.

RHINANTHUS.

LINN. *Gen. plant.* 658.

Calyx quadrifidus, inflatus Tourneſ. Tab. 77. F. Semina compreſſa, alata, P.

1. RHINANTHUS corollarum labio ſuperiore breviore. LINN. *Fl. Lapp.* 248. *H. Cliff.* p. 325. *Fl. Svec.* 182. compreſſo. *Spec. plant.* p. 603.

Varietates.

(a) *Rhinanthus* corollarum labio ſuperiore breviore compreſſo, calyce glabro.

Alecto-

Alectorolophus calycibus glabris, foliis inter flores latioribus. HALL. Helv. p. 624. BOEHM. Lipſ. 138.

Habitat in pratis, quorum indicat ſterilitatem.

Caulis glaber, immaculatus. Folia minora & fuſca magis. Calyx glaber. Corollæ galea apice minime violaceo. Stigma ovale, flavum.

(b) *Rhinanthus* corollarum labio ſuperiore breviore compreſſo, calyce villoſo.

Alectorolophus calycibus hirſutis, foliis inter flores latioribus. HALL. l. c. BOEHM. Lipſ. 139.

Pedicularis pratenſis lutea erectior, calyce floris hirſuto. TOURNEF. Inſt. p. 172.

Habitat ibidem.

Flores majores, folio latiore & flaveſcente excepti. Calyx villoſus. Galeæ roſtrum longius, cæruleum.

MELAMPYRUM.

TOURNEF. *Inſt. p.* 173. *Tab.* 78.

Calycis ſegmenta tenuia. Corollæ galea marginibus reflexis; labium æqualiter trifidum, duplici tumore notatum; tubus recurvus. Semina teretia, tritico ſimilia.

1. MELAMPYRUM bracteis unifloris coloratis cordatis, calycibus hirſutis.

Melampyrum bracteis cordato-lanceolatis, ſummis coloratis ſterilibus, calycibus lanatis. LINN. Fl. Svec. 512. Spec. plant. p. 605.

Melampyrum ſpica laxiſſima, foliis inter flores laciniatis. HALL. Helv. p. 626. BOEHM. Lipſ. 140.

Habitat copioſe circa *Krainburg*, & in M. *S. Catharinæ* prope *Holdried ouszа*.

Caulis tetraobtuſangulus. Flores ſubſeſſiles. Calyx hiſpidus, ex rubro-violaceus; ſegmentis acutis.

Corolla bicolor; limbo flavo; tubo ſubrubro, calyce duplo longiore; galeæ lateribus lanuginoſis. Antheræ in ambitu villoſæ. Capſula glabra; loculo uno monoſpermo, altero diſpermo.

2. MELAMPYRUM bracteis unifloris ovatis, calycibus hirſutis, caule tereti.

Habitat circa *Podguelb.*

Caulis pedalis, erectus, villoſus, teres, ramoſus. Rami oppoſiti, ſimplices. Folia lanceolato-linearia, ſeſſilia, hamis amplexicaulibus. Spicæ denſæ, longæ. Bracteæ ovatæ, virides, laciniatæ; laciniis dentatis, glabris. Flos unicus; breviſſimo pedunculo. Calyx villoſus. Corolla flava, ſubvilloſa; galeæ lateribus luteo-vireſcentibus. Capſula calyce longior; loculis monoſpermis.

EUPHRASIA.

LINN. *Gen. plant.* 659.

Calyx monophyllus, irregularis. Corollæ galea bifida; barba trifida. Semina ſubrotunda. Eſſentia vero conſiſtit in antheris denticulatis. LINN. *Phil. Bot.* 171.

1. EUPHRASIA foliis ovatis argute dentatis. LINN. *Fl. Lapp.* 247. *Fl. Suec.* 516. *Mat. Med.* 315. *Spec. plant.* p. 604. ROYEN. *Lugdb.* p. 299. HALL. *Helv.* p. 628. BOEHM. *Lipſ.* 148.

Habitat ubique in pratis.

Folia circumſcriptione ſubrotunda, ſubtus venoſa & villoſa, dentibus in molles ſpinulas deſinentibus. Calycini dentes patuli, integerrimi. Calyx quadridentatus, ſtriatus, transverſis rugis ſtrias unientibus. Labii ſegmenta æqualia; Corolla alba. Ala uniflora. Flos ſubſeſſilis.

Tantis encomiis ad morbos oculorum promiſcue celebratur, ut ſolatium oculorum Germanice dicta ſit.

Verum

Verum amarities & chemica principia demonſtrant adeo acrem eſſe plantam, ut in calidis oculorum morbis, ſeu cum tenera eorum vaſa obſtructa acuto humorum impetu urgentur adeo ut facile deſtrui queant, nunquam prodeſſe poſſit. Nulla ergo dantur Ophthalmica ſpecifica, ſed omne arcanum conſiſtit in ſcientia vitii, quod in ſolidis aut fluidis hæret, quo detecto eadem methodo ſanabitur oculus qua manus aut digitus ſanari poteſt.

2. EUPHRASIA foliis lineari-lanceolatis ſerratis.

Odontites foliis oppoſitis, lanceolatis, flore purpuraſcente. SEGUIER. Veron. 1. p. 269.

Odontites foliis inter flores ſerratis. HALL. Helv. p. 627. BOEHM. Lipſ. 142.

Euphraſia foliis linearibus: omnibus ſerratis. LINN. H. Cliff. p. 346. Fl. Svec. 517. Spec. plant. p. 604. ROYEN. Lugdb. p. 299.

Pedicularis ſerotina purpuraſcente flore. TOURNEF. Inſt. p. 172.

Habitat in locis incultis.

Caulis obtuſe tetragonus. Folia lanceolata, dentata. Racemi laterales, folioſi. Flores heteromalli. Calyx ſubruber, minus profunde ſectus. Corolla rubra; galea convexa: ſegmentis ciliatis, integerrimis; labio galea breviore, ſegmentis ovatis. Capſula ovalis, calycis longitudine, ſupra medium ciliata. Semina in uno loculo 6-8. oblonga, rufa.

CLASSIS XXV.

COLUMNIFERÆ.

ROYEN. *Lugdb.*

Corolla pentapetala; petalis & ſtaminibus baſi coalitis, ſuperne liberis. Capſulæ plures, receptaculo columnari, communi affixæ. Vis ſæpius emolliens.

MALVA.

LINN. *Gen. plant.* 751.

Calyx duplex; exterior triphyllus; interior quinquefidus. PRESTON. apud RAY *Meth. emend.* p. 92.

1. MALVA caule repente, foliis cordato-orbiculatis obsolete quinquelobis. LINN. *H. Cliff.* p. 347. *Fl. Suec.* 580. *Mat. Med.* 339. *Spec. plant.* p. 688. ROYEN. *Lugdb.* p. 336. HALL. *Helv.* p. 363. DALIB. *Paris.* p. 209. BOEHM. *Lipſ.* 72.

Carniol. *Suſena. Tschershen Kloubuk.*

Habitat in ruderatis.

Bracteæ integerrimæ. Foliorum lobi ſubrotundi. Alæ unifloræ. Corolla alba. Calyx exterior linearis; interior ſubinteger, ſtaminibus longior. Petala baſi glabra, calyce duplo longiora. Columna ſtaminum petalis concolor. Styli roſei.

Omnes tum Veteres quam Recentiores Medici unanimiter ſentiunt Malvam inter Emollientia principem mereri locum, & acrimoniæ humorum obtundendæ efficaciſſimam eſſe. Nullum ergo medicamentum præſtantius reperitur ad inflammatam ventriculi nerveam fabricam ſucceſſive emolliendam; ad laxanda inflammata & tenſa vaſa tunicæ adnatæ & corneæ, faucium, muſculorum intercoſtalium; ad corrigendam acrimoniam in Cholera, Dyſenteria, Tuſſi, Dyſuria, irritatione ſphyncteris veſicæ ſenibus & diureticorum vinorum potatoribus familiari; ad emollienda loca præter naturam exſicata in partu difficili ex præmatura aquarum eruptione, alvo diutius obſtipata ex acuta perſpiratione, phlogoſi denique membranacea, ubicumque demum ea fuerit.

2. MALVA caule erecto herbaceo, foliis lobatis obtuſis, pedunculis petiolisque piloſis. LINN. *Spec. plant.* p. 689.

Malva

Malva caule erecto, foliis fere palmatis obsolete ferratis. Linn. H. Cliff. p. 347. Royen. Lugdb p. 356. Hall. Helv. p. 362. Boehm. Lipſ. 73.

Habitat in cultioribus locis.

Villi in calyce, petiolis, pedunculis. Folia ſeptemloba; lobis crenatis. Alæ multifloræ. Flos roſeus. Calycis exterioris foliola lanceolata; calyx interior ſemiquinquefidus, ſtaminibus brevior. Petala calyce triplo longiora, rubris lineis exarata, baſi villoſa. Columna ſtaminum villoſa. Filamenta glabra. Antheræ roſeæ, albis globulis plenæ.

3. Malva caule erecto, foliis multipartitis ſcabriuſculis. Linn. *H. Cliff.* p. 347. *Fl. Suec.* 582. *Spec. plant.* 689. Royen. *Lugdb.* p. 356. Hall. *Helv.* p. 363. Dalib. *Paris.* p. 209. Boehm. *Lipſ.* 74.

Habitat in cultis ſubſterilibus.

Folia ad baſim uſque diſſecta in lobos lanceolatos, laciniatos, ſubaſperos; petiolis hirſutis. Pedunculi laterales, ſolitarii, hirſuti. Petala pedunculo paulo breviora; apicibus dilatatis, truncatis, crenulato-laceris.

ALTHÆA.

Linn. *Gen. plant.* 749.

Calyx duplex; uterque quinquefidus. Preston. apud Ray. *Meth. emend.* exterior novemfidus. Linn. *loc. cit.* Hall. *Helv.* p. 364.

1. Althæa foliis ſimplicibus tomentoſis. Linn. *H. Cliff.* p. 348. *H. Upſal.* p. 204. *Mat. Med.* 338. *Spec. plant.* p. 686. Royen. *Lugdb.* p. 357. Dalib. *Paris.* p. 210.

Carniol. *Schles.*

Habitat circa *Planinam*, *Maunitz*, *Zirchnitz*. non abunde.

Folia triloba; lobis acutis, dentatis. Pedunculi multiflori. Calyx interior quinquefidus. Petala emarginata, ſubcrenata, baſi hirſuta, calyce duplo majora.

Viribus medicis cum Malva convenit.

CLASSIS XXVI.
SUCCULENTÆ.

LINN. *Claſſ. Plant.* & *Phil. Bot.* pleraque Genera.

Calyx ſæpius monophyllus, perſiſtens. Corolla utplurimum polypetala. Stamina nunquam pauciora petalis aut ſegmenta corollæ & calycis. Fructus plerumque ſiccus. Succulentus habitus.

OXALIS.

LINN. *Gen. plant.* 715.

Calyx quinquefidus TOURNEF. *Tab.* 19. C. Corolla monopetala A. Stamina decem, alterna minora LINN. HALLER. Styli quinque LUDWIG. Capſula pentagona, quinquelocularis, angulis dehiſcens, explodens ſemina.

1. OXALIS ſcapo unifloro, foliis ternatis, radice ſquamoſo-articulata. LINN. *H. Cliff.* p. 175. *Fl. Svec.* 385. *Mat. Med.* 216. *Spec. plant.* p. 433. ROYEN. *Lugdb.* p. 458. BOEHM. *Lipſ.* 70. Oxydis nomine.

Oxys radice dentata, foliis ternatis, ſcapo nudo, unifloro. HALL. Helv. p. 364.

Oxys flore albo & purpuraſcente. TOURNEF. Inſt. p. 88.

Carniol. *Kisla detela.*

Habitat in ſylvis omnibus.

Folia utrinque virentia ſi flos albus, ſubtus rubra ſi purpuraſcens fuerit. Corolla malvacea, calyce triplo longior. Calyx unicus, regularis, ſtaminibus bre-

brevior; segmentis subrotundis, rubris. Stamina libera.

Recentia folia jusculis incocta, aut alio modo assumpta, in putridis febribus, in quibus alcali dominatur, egregie demulcent; sed etiam peregrinantibus Alpes aquis destitutas, in situ & æstu solatium præbent.

GERANIUM.

TOURNEF. *Inst. p. 266. Tab. 142.*

Corollæ pentapetala regularis in *Gruinali* RIVINI, irregularis in *Geranio* ejusdem, calyce pentaphyllo excepta. Stamina decem, alterna minora. Styli quinque. Capsulæ quinque, caudatæ, uniloculares, monospermæ, a basi sursum dehiscentes.

1. GERANIUM pedunculis bifloris, calycibus pilosis decemangulatis. LINN. *Spec. plant.* p. 681.

Geranium pedunculis bifloris, foliis quinquetripartitis, lobis pinnatifidis. LINN. H. Cliff. p 344. Fl. Svec. 578. HALL. Helv. p. 369. BOEHM. Lipf. 462.

Carniol. *Kervamozenzel.*

Habitat in hortis, muris, ruderatis.

Pedunculi diflori, non multiflori ut posuit VAILLANT. *Paris.* p. 80. Calyx aristatus, villis rubro capitulo sæpius terminatis hispidus, lineatus. Corolla subæqualis. Stamina breviora ultima sunt quæ ad stigmata connivent & pollen effundunt. Germina glabra sunt.

Plantam hanc adstringere, & vulnerariam esse popularia præsertim experimenta confirmant. An hæc herba sanguinalis ad sanguinis rejectionem ab ARETÆO commendata de *causis & signis acut. & diuturn. morb. de curat. Lib. 2. cap. 2. v. 40. edit. Wigan. p. 123. sub finem?*

2. GERANIUM pedunculis bifloris, petalis integris calycis longitudine, caule proſtrato, foliis renifor. mibus inciſis. LINN. Spec. plant. p. 683.

Geranium pedunculis bifloris, foliis ſubrotundis multifidis, caule procumbente. LINN. H. Cliff. p. 344. Fl. Svec. 575. ROYEN. Lugdb p. 351. HALL. Helv. p. 365. DALIB. Paris. p. 206.

Geranium columbinum majus, flore minore cæruleo. VAILLANT. Paris. p. 79. Tab. 15. fig. 1.

Habitat ad vias.

Folia orbiculata, mollia, ſemiſeptifida; lobis inciſis. Calyx villoſus, muticus. Petala rubra, emarginata, calyce minime longiora. Antheræ cæruleæ. Seminis acus calyce duplo longior, pedunculo paulo minor. Semina terrei coloris & villoſa.

3. GERANIUM pedunculis bifloris, foliis quinquepartito-multifidis angulatis: laciniis acutis, capſulis glabris, calycibus ariſtatis. LINN. *Fl. Svec.* 576. *Spec. plant.* p. 682. DALIB. *Paris.* p. 207.

Geranium foliis ad nervum quinquifidis, pediculo longiſſimo, caule proſtrato. HALL. Helv. p. 367.

Geranium columbinum foliis diſectis, pediculis florum longiſſimis. RAY. Hiſt. 2. p. 1059. TOURNEF. Inſt. p. 268. VAILLANT. Paris. p. 79. Tab. 15. fig. 4. SEGUIER. Veron. 1. p. 472.

Habitat in ſterilibus & apricis.

Caules proſtrati. Folia longe petiolata, ad baſim uſque quinqueloba; lobis inciſis, villis proſtratis utrinque adſperſa. Pedunculus acu ſeminis duplo longior, cum calyce irregulari & ariſtato glaber. Petala regularia, calyce breviora, emarginata, ſpinula e medio prodeunte. Filamenta calycis longitudine.

4. GERANIUM pedunculis bifloris, foliis peltato-inciſis ſerratis, caule erecto. LINN. *Fl. Lapp.* 266. *H. Cliff.*

Cliff. p. 244. *Fl. Svec.* 572. *Spec. plant.* p. 681. ROYEN. *Lugdb.* p. 351.

Geranium foliis rugosis, semitrilobis, latioribus, lobis dentatis, lateralibus bipartitis, floribus purpureis. HALL. Helv. p. 367.

Habitat in sylvis.

Caulis anguloso-sulcatus. Folia bina, opposita, quinqueloba, figura Ranunculi montani subhirsuti. BAUHINI; lobis acutis, dentatis. Calyx glaber, erectus, aristatus: arista herbacea. Pedunculus semipedalis, lateralis, compressus, nudus, biflorus. Flos magnus. Petala cæruleo-rubra, lineata, bifida, incisa; unguibus ciliatis. Styli cinnabarini.

5. GERANIUM pedunculis multifloris, calycibus pentaphyllis, floribus pentandris, foliis pinnatis incisis obtusis. LINN. *Spec. plant.* p. 680.

Geranium pedunculis multifloris, calycibus pentaphyllis, foliis duplicato-pinnatis. LINN. H. Cliff. p. 334. Fl. Svec. 579. Mat. Med. 337. ROYEN. Lugdb. p. 352. HALL. Helv. p. 369. DALIB. Paris. p. 208. BOEHM. Lipsi. 461.

Habitat secus vias.

Caulis decumbens. Villosa omnia. Pinnæ sessiles, sæpius alternæ, incisæ, extremæ confluentes. Pedunculi laterales, convergentes, nudi, folio longiores. Flores umbellati, involucro communi monophyllo dentato. Calyx regularis, aristatus, basi ruber; lineis viridibus tribus in singulo foliolo Petala inæqualia, immaculata, rubra; unguibus ciliatis. Glandulæ subnigræ inter bases petalorum. Stamina quinque.

Geranium Moschatum, pinnis foliorum integris in *Carniola* nondum a me visum, odore certe ac viribus a *supino* diversum est.

SEDUM.

HALL. *Helv. p.* 392.

Calycis folia & Petala germinum numero respondentia. Stamina duplo plura petalis, alterna ex horum unguibus. Siliquæ numero petalorum, calyce persistente exceptæ, uniculares, polyspermæ, interiori latere dehiscentes.

Stirpium *Classes* & *Genera* Natura constituit, ut docuit LINNÆVS Generibus *Polygoni*, *Rhamni*, aliisque. Sed etiam ratio militat pro *Sedo*, *Alsine*, *Lychnide*, ut patet consideranti. In his itaque HALLERVM & LUDWIGIVM sequi visum est.

1. SEDUM (Sempervivum) foliis planis ciliatis, propaginibus patentibus. LINN. *Spec. plant.* p. 464.

Sedum rosulis acaulis, liberis, conniventibus, foliis ciliatis. HALL. Helv. p. 392. BOEHM. Lipſ. 412.

Sempervivum foliis radicalibus carnosis ciliatis, caulinis imbricatis membranaceis, corymbo racemoso reflexo. LINN. H. Cliff. p. 179. Fl. Svec. 375. Mat Med. 222. ROYEN. Lugdb. p. 457.

Habitat in rupibus, murisque hortorum.

SEGUIERIVS *Sempervivum* plantis accensuit pentapetalis pentandris, unde hoc? Optimo Amico ex cæcis hæmorrhoidibus sæviſſimo dolore vexato, appoſita ſunt, meo conſilio hujus plantæ trita & ſaccu-lo incluſa folia. Ea nocte bene dormivit, aliaque die ab omni dolore & tumore liber, ſuo officio liberrime functus eſt. Succus foliorum cum melle mixtus aphtoſis faucibus ſolatium adfert; eodem faciei maculas lentiformes diſſipatas ſæpius obſervavi. Sed & putredinem dyſentericam, bilioſam, alcaleſcentem enervat, acido quo abundat & nitroſo ſale, ſi quotidie ad aliquot uncias ſumptus fuerit.

2. SE-

2. Sedum foliis planis ovatis ſerratis, cymis lateralibus corymboſis.

Sedum foliis planiuſculis ſerratis, corymbo folioſo, caule erecto. Linn. Spec. plant. p. 430.

Sedum foliis ſerratis, ellipticis, umbella caulem terminante denſiſſima. Hall. Helv. p. 394.

Sedum foliis planiuſculis patentibus ſerratis, corymbo terminatrice. Linn. H. Cliff. p. 176. Fl. Svec. 386. Royen. Lugdb. p. 456.

Habitat circa rupes.

Margo folii ruber, baſis integerrima. Corymbi folioſi, trifidi. Calyx acutus. Petala alba. Antheræ rubræ, polline flavo. Filamenta alterna breviora. Siliculæ quinque, decem ſubovatis ſeminibus fœtæ.

Viribus Medicis cum priore convenit.

3. Sedum foliis teretibus compreſſis acutis, cyma trifida, floribus pedunculatis.

Habitat cum ſequentibus.

Folia acuta, rubris maculis punctata, luteo-vireſcentia. Caulis apice trifido. Flores pedunculati. Petala alba, linea rubra per medium decurrente notata. Calyx acutus. Siliquæ ſex. Stamina petalis & germinibus breviora.

4. Sedum foliis teretibus obtuſis patulis, cyma trifida, floribus ſeſſilibus.

Sedum foliis conicis, floribus in alis ſeſſilibus, majoribus, luteis. Hall. Helv. p. 396. cum inſipidum ſit.

Habitat in aridis locis, juxta vias, & in muris.

Caules demum erecti. Folia patentia, viridia, obtuſa, adnata, ſeſſilia. Caulis apex trifidus. Flores ſeſſiles. Calycis ſegmenta teretia, anguſtiora. Petala flava. Stamina flava. Siliquæ quinque.

5. Sedum foliis teretibus obtuſis, racemis dichotomis corymboſis, calycibus obtuſis.

Sedum

Sedum foliis oblongis teretiuſculis ſeſſilibus patentibus, cyma ramoſa. Linn. H. Cliff. p. 177. Fl. Svec. 387. Spec. plant. p. 432. Royen. Lugdb. p. 457. Hall. Helv. p. 398.

Habitat in muris.

Folia ſature virentia, tuberculoſa. Racemi plures ter quaterque dichotomi, in corymbum confluentes. Pedunculi Petalorum longitudine. Calycina folia ovata. Petala alba, ſine linea decolore. Stamina petalorum longitudine, ſtylis longiora. Sapor acidus.

SAXIFRAGA.

Linn. *Gen. plant.* 494.

Calyx quinquefidus, perſiſtens, Petala quinque. Stamina decem, alterna breviora. Capſula biroſtris, unilocularis, polyſperma.

1. Saxifraga foliis caulinis reniformibus dentatis petiolatis. Linn. *Spec. plant. p.* 403.

Saxifraga foliis reniformibus acute crenatis, caule ramoſo folioſo. Linn. H. Cliff. p. 167. Royen. Lugdb. p. 453. Hall. Helv. p. 400.

Geum rotundifolium, majus. Tournef. Inſt. p. 251. Tab. 129. Scheuchz. It. p. 334. Seguier. Veron. 1. p. 446.

Habitat in udis ſaxoſisque ſylvarum etiam alpinarum locis.

Folia prædicta. Racemi laterales, nudi, trifidi; pedunculis lateralibus trifloris, medio unifloro. Calyx patens, germine minor. Petala alba, lanceolata, rubris punctis ſupra medium, infra vero luteis notata maculis. Semina ovata, glabra.

2. Saxifraga foliis radicalibus aggregatis lingulatis cartilagineo-ſerratis, caule paniculato. Linn. *Spec. plant.* p. 398.

Saxi-

Saxifraga foliis ligulatis radicalibus, margine cartilagineo, acute ſerratis, floribus paniculatis. LINN. Fl. Svec. 355.

Saxifraga foliorum ora cartilaginea, crenata, florum ſpica parva & alba. HALL. Helv. p. 402.

Saxifraga foliorum marginibus cartilagine crenatis. LINN. H. Cliff. p. 168. ROYEN. Lugdb. p. 453.

Habitat in M. *Anas.*

Folia ima congeſta, baſi rubra, apicibus dilatata, craſſa, lingulata, oris, dum planta ſemen parat, tuberculis albis ſeparabilibus, veluti ſcabie obſeſſis. Scapus villoſus, ſubruber, foliaceus, racemoſus. Pedunculi patentes ramoſi. Petala alba, elliptica, punctata, marginibus criſpis. Stamina ſuberecta, ſegmentis calycinis vix longiora; antheris ochroleucis. Ovarii tegmen flavum. Capſula ſemina continet 50. circiter.

3. SAXIFRAGA foliis caulinis alternis linearibus ſpinoſo-ciliatis.

Saxifraga foliis caulinis linearibus alternis ciliatis: radicalibus aggregatis. LINN. Spec. plant. p. 402.

Saxifraga foliorum margine ciliari, floribus luteis maculoſis. HALL. Helv. p. 399. & non maculoſis. SEGUIER. ſupplem. p. 200.

Habitat cum *Cherleria.*

Ego folia radicalia & aggregata Linnæi non invenio, ſed mere caulina, craſſa, patentia, ſpinulis remotis mollibus albidis pellucidis ciliata. Pedunculi inferiores plerumque biflori, terminalis uniflorus. Calyx patentiſſimus, virens, glaber, ſtaminibus brevior. Petala aurantia, oblonga, integerrima, patula, croceis maculis notata. Stamina petalis breviora. Germen rubrum.

4. SA-

4. SAXIFRAGA foliis caulinis cuneiformibus trifidis alternis, caule erecto ramoso. LINN. *Fl. Suec.* 355. *Spec. plant.* p. 404.

Saxifraga foliis latius petiolatis, trifidis, ad caulem palmatis. HALL. Helv. p. 404.

Saxifraga foliis trifidis: basi angustis, caule erecto. ROYEN. Lugdb. p. 457.

Saxifraga foliis omnibus trilobis: basi angustis, caule erecto. LINN. Fl. Lapp. p. 173. H. Cliff. p. 168.

Saxifraga verna, annua, humilior. TOURNEF. Inst. p. 252. ZANICHELL. Ven. p. 255. Tab. 226. SEGUIER. Veron. 1. p. 448.

Habitat in muris circa *Lok* &c

Folia ima trifida, suprema simplicia. Caulis digitum longus, paniculatus. Calyx virens. Petala alba, ovata.

CHRYSOSPLENIUM.

TOURNEF. *Inst.* p. 146. *Tab.* 60.

Calyx quadrifidus, coloratus, patens. Stamina octo. Germen receptaculo immersum. Capsula Saxifragiæ. Semina in duos ordines distributa.

1. CHRYSOSPLENIUM foliis alternis. HALL. *Helv.* p. 189. LINN. *Fl. Suec.* 317. *Spec. plant.* p. 398.

Chrysosplenium foliis pedicellis oblongis insidentibus. TOURNEF. Inst. p. 146. SEGUIER. Veron. 1. p. 242.

Habitat in gramineis humidioribus, umbrosis; circa sepes, fontes, & rivulos.

Caules trigoni, erecti, apice dichotomi. Rami corymbosi. Folia alterna, petiolata, cordato-reniformia, crenata, inferiora villosa, sub floribus glabra. Flores sessiles, flavescentes, flavescentibus foliis cincti, qui color in adulta planta successive evanescit. Capsula compressa,

preſſa, ſegmentis calycinis minoribus tecta, divaricatis ſtylis coronata, ad medium ita compreſſa, ut bilocularis videatur; ſepto tamen caret, cæterum bivalvis, & ita dehiſcens ut unilocularis appareat. Semina ante valvarum aperturam in duas phalanges, veluti locula diſtributa.

PORTULACA.

TOURNEF. *Inſt. p.* 236. *Tab.* 118.

Calyx bifidus, imam partem germinis ambiens C. Petala quinque A. Stamina plura. Stylus unicus. Stigmata ſex. Capſula ovata E, transverſim dehiſcens H. G.

1. PORTULACA foliis cuneiformibus, floribus ſeſſilibus. ROYEN. *Lugdb.* p. 473. LINN. *H. Upſal.* p. 146. *Mat. Med.* 260. *Spec. plant.* p. 445. HALL. *Helv.* p. 392. DALIB. *Paris.* p. 158. WACHENDORF. *ultraject.* p. 95. BOEHM. *Lipſ.* 885.

Portulaca foliis cuneiformibus verticillatis ſeſſilibus, floribus ſeſſilibus. LINN. H. Cliff. p. 207.

Carniol. *Sher.*

Habitat in hortis.

Syrupus aut ſuccus in Stranguria præſertim utilis eſt, commendatus etiam a CRATONE *in Epiſt.* 5. p. 275.

CLASSIS XXVII.

CARYOPHYLLEI.

LINN. *Claſſ. Plant. & Phil. Bot.*

Calyx perſiſtens. Petala tot quot foliola aut ſegmenta calycis, germini circumpoſita; unguibus erectis; limbis patulis. Staminum dupla ratio ad petala. Fructus unicus, plerumque ſiccus, polyſpermus. Folia ſæpius oppoſita.

ALSINE.

ALSINE.

TOURNEF. *Inſt. p.* 242. *Tab.* 126.

Folia calyna & Petala eodem numero. Stamina petalis nunquam pauciora, aut duplo plura. Styli 2-5. Capſula conica, unilocularis, polyſperma, apice dehiſcens in valvas nunquam pauciores quam ſunt petala. Pedunculus ſolitarius inter ramos.

1. ALSINE floribus tetrandris tetragynis, caulibus diffuſis.

Sagina ramis procumbentibus. LINN. *Spec. plant.* p. 128. cum aliis Synonymis ac in *Flora Svecica* poſuit. 148.

Alſine puſilla graminea, flore tetrapetalo. SEGUIER. Veron. 1. p. 421. Tab. 5. fig. 3. omnino.

Alſine tetrapetala, foliis anguſtis, in origine latescentibus. HALL. Helv. p. 390. BOEHM. Lipſ. 385. qui *Saginam* LINN. cum ejusdem *Moehringia* confundit.

Habitat circa hortos.

Folia *Moehringiæ*. Statura minor. Calyx patens, tetraphyllus. Stamina quatuor inter binas glandulas erumpentia. Styli quatuor, reflexi. Petala quatuor, alba, ovata, calyce multo minora.

2. ALSINE floribus pentandris, foliis ovato-cordatis.

Alſine petalis bipartitis, foliis ovuto-cordatis. LINN. Spec. plant. p. 272.

Alſine pentaſtemon, petalis bipartitis. HALL. Helv. p. 386.

Alſine foliis ovato-cordatis. LINN. Fl. Lapp. 186. H. Cliff. p. 173. *floribus trigynis.* Fl. Svec. 369. BOEHM. Lipſ. 378.

Habitat in cultis abunde.

Folia ima petiolata, ſuperiora ſeſſilia, ſucculenta; unde inter hanc & priorem Claſſem adfinitas eluceſcit.

Petala

Petala bifida, calyce bre
quinque. Styli tres. Ca
tea, compreſſa, ſubrotun
filis pendula.

Phlegmatis aquoſi, n
GUIER. *Veron.* 1. p. 417
petunt ſpini & Cardueles
nem humorum ex nimio
tendam. Corpus vero
nondum certo conſtat.

3. ALSINE floribus octa
Moehringia. LIN
Moehringia pedu
Upſal p. 95.
Alſine tetrapetala,
HALL. Helv. p. 39
Habitat in rupibus u
Calyx tetraphyllus.
ma. Stamina octo, æqua
dein divergentes ut in *S*
valvis; valvis reflexis.
tia, nigra, reniformia.

4. ALSINE floribus deca
latis, petalis bifidis.
Stellaria foliis la
fidis. LINN. Spec.
Alſine foliis gra
dis. HALL. Helv.
Alſine foliis lance
371. BOEHM. Lip
Habitat circa ſepes
Pellant.

Caulis erectus, ſubte
Calycis margo albicans.
calyce duplo longiora.
Capſula ſphærica, obtuſa

Petala bifida, calyce breviora. Stamina naturaliter quinque. Styli tres. Capsula sexvalvis. Semina lutea, compressa, subrotunda, usque quatuordecim, e filis pendula.

Phlegmatis aquosi, non vero salis ammoniaci Seguier. *Veron.* 1. p. 417. copia abundat. Hanc appetunt spini & Cardueles instinctu naturæ ad putredinem humorum ex nimio usu seminum Cannabis, avertendam. Corpus vero humanum quomodo afficiat, nondum certo constat.

3. Alsine floribus octandris.

Moehringia. Linn. Spec. plant. p. 359.

Moehringia pedunculis unifloris. Linn. H. Upsal p. 95.

Alsine tetrapetala, foliis peranguſtis, longissimis. Hall. Helv. p. 390. Boehm. Lipſ. 384.

Habitat in rupibus umbrosis & asperis udis locis.

Calyx tetraphyllus. Petala quatuor, integerrima. Stamina octo, æqualia. Styli duo conniventes, dein divergentes ut in *Saxifragiis*. Capsula quadrivalvis; valvis reflexis. Semina quatuor, splendentia, nigra, reniformia.

4. Alsine floribus decandris trigynis, foliis lanceolatis, petalis bifidis.

Stellaria foliis lanceolatis serrulatis, petalis bifidis. Linn. Spec. plant. p. 422.

Alsine foliis gramineis, asperis, petalis semibifidis. Hall. Helv. p. 386.

Alsine foliis lanceolatis serratis. Linn. Fl. Svec. 371. Boehm. Lipſ. 376.

Habitat circa sepes *agri Labacensis*, & prope *Pellant*.

Caulis erectus, subtetragonus. Folia lanceolata. Calycis margo albicans. Petala semibifida, venosa, calyce duplo longiora. Stamina decem. Styli tres. Capsula sphærica, obtusa. Semina pauca.

5. ALSINE floribus decandris trigynis paniculatis, foliis linearibus.

Stellaria foliis linearibus integerrimis, floribus paniculatis. LINN. Spec. plant. p. 422.

Alsine foliis linearibus integerrimis. LINN. Fl. Svec. 372 BOEHM. Lipſ. 375.

Alsine foliis gramineis, petalis bipartitis. HALL. Helv. p. 385.

Habitat in herbidis, udisque.

Caulis repens, compreſſo-tetragonus. Folia linearia, patula. Flores paniculati. Calycina folia lineata. Petala calyce longiora. Capſula ſexvalvis.

6. ALSINE floribus decandris trigynis, corollis calyce brevioribus.

Alsine foliis lanceolatis, petalis integris, calycis magnitudine. HALL. Helv. p. 389. BOEHM. Lipſ. 383.

Arenaria foliis ſubovatis acutis ſeſſilibus, corollis calyce brevioribus. LINN. H. Cliff. p. 173. Fl. Svec. 373. Spec. plant. p. 423. ROYEN. Lugdb. p. 451.

Habitat in ſiccis & ſterilibus.

Petala ovato-oblonga, integra, alba, calyce duplo breviora. Capſula ſexvalvis, non quinquevalvis. LINN. *Gen. plant.* 446.

7. ALSINE floribus decandris pentagynis, foliis ſeſſilibus cordatis.

Ceraſtium foliis cordatis ſeſſilibus, floribus ſolitariis, fructibus pendulis. LINN. Spec. plant. p. 439.

Alsine foliis cordatis, floribus pentagynis. LINN. Fl. Svec. 370. BOEHM. Lipſ. 377.

Alsine foliis cordatis, petalis bipartitis. HALL. Helv. p. 386.

Habitat in areis hortorum, udisque in locis.

Folia

CLASS

Folia amplexicaulia.
longiora. Stamina decem
quinquevalvis. En differ
8. ALSINE floribus deca
ticillatis.
Alsine foliis verti
talis integris. HAL
Lipſ. 380.
Spergula foliis ve
LINN. H. Cliff. p. 4
Lugdb. p. 451.
Spergula fructu p
Habitat inter ſegetes.
Caulis erectus, teres
teretia, ciliata, nitida, ve
nicula dichotoma, laxa, t
tegra. Stamina numero
rus naturalis decimus eſ
duplo longior, quinquev
ſa, papilloſa.
Dato numero quinari
rente, nihil obſtat eſſe D
Generum naturalium ab
buuntur, diverſiſſimæ ſ

CERA

LINN. ſpecies nonnul
NEFOR
Differt ab *Alsine* cap
li, decem denticulis, cu
inſtructa. TOURNEF. *Ta*
Paris. Tab. 30. *fig.* 1. 2.
1. CERASTIUM floribus
majoribus, foliis ova

Folia amplexicaulia. Petala semibifida, calyce longiora. Stamina decem. Styli quinque. Capsula quinquevalvis. En differentiam ab *Alsine media*.

8. ALSINE floribus decandris pentagynis, foliis verticillatis.

Alsine foliis verticillatis, petiolis ramosis, petalis integris. HALL. Helv. p. 387. BOEHM. Lipsi. 380.

Spergula foliis verticillatis, floribus decandris, LINN. H. Cliff. p. 440. Fl. Svec. 377. ROYEN. Lugdb. p. 451.

Spergula fructu pendulo. LINN. Fl. Lapp. 190.

Habitat inter segetes.

Caulis erectus, teres, ramosus. Folia linearia, teretia, ciliata, nitida, verticillata, canaliculata. Panicula dichotoma, laxa, terminalis. Petala ovata, integra. Stamina numero variantia 5. 7. 8. sed numerus naturalis decimus est. Capsula ovata, calyce duplo longior, quinquevalvis. Semina atra, compressa, papillosa.

Dato numero quinario staminum interdum occurrente, nihil obstat esse Droseræ speciem. Ergo notæ Generum naturalium ab iis, quæ artificialibus tribuuntur, diversissimæ sunt.

CERASTIUM.

LINN. species nonnullæ, seu *Myosotides*, TOURNEFORT. HALLER.

Differt ab *Alsine* capsula cylindracea, cornu simili, decem denticulis, cum semina effundit, in apice instructa. TOURNEF. *Tab.* 126. E. F. G. VAILLANT. *Paris. Tab.* 30. *fig.* 1. 2. 3. a. a. b. b.

1. CERASTIUM floribus decandris, corollis calyce majoribus, foliis ovato-lanceolatis.

Ceraſtium foliis ovato-lanceolatis, caule diviſo, capſulis oblongis. LINN. Spec. plant. p. 438.

Ceraſtium foliis lanceolatis, corollis calyce majoribus. LINN. Fl. Svec. 380.

Myoſotis foliis exovato acuminatis, flore calycem excedente. HALL. Helv. p. 383.

Habitat in herbidis ſiccis, paſſim.

Villi in calyce ſubulati, ſubarticulati.

CHERLERIA.

HALL. *Helv. p.* 391.

Habitus *Alſines* eſt, & fructus, & tubæ. Sed ſtamina alternatim quinque ſimplicia, quinque ex cordiforme ungue profecta, neque alia præter eos ungues (nectaria LINNÆI, petala LUDWIGII) qui calyce minores ſunt, petala. HALL. l. c. qualia pinxit SEGUIERIVS. *Veron.* ſupplem. *Tab.* 4. fig. 3. C. & fatetur etiam HALLERVS in *Itin. helvet.* n. 79.

1. CHERLERIA. HALL. *Helv. ibid.* Tab. 6. & *It. Helv. Tab.* 1. LINN. *Spec. plant.* p. 425. SEGUIER. *l. c.* p. 180.

Habitat in ſaxoſis cacuminibus Alpium *Carniolæ ſuperioris.*

Deſcriptionibus a Cl. HALLERO conſignatis in *Comm. Lit. Norimb.* 1736. *Hebdom.* 13. *Tab.* 1. fig. 5. *Helvet. Enum. l. c. Opuſcul. Bot. p.* 25. & 299. 300. addo Ceſpites latos, ut in *Lychnide gramineo folio.* Pedunculos erectos, uno foliorum pari ornatos, ungue digiti auricularis nunquam longiores. Calycem virentem, ſuberectum, glabrum. Stamina longiora ex nectariis, minora ex receptaculo; antheris pallide luteis. Stylos nectariorum longitudine. Capſulam trivalvem.

LYCH-

LYCHNIS.

HALL. *Helv. p.* 373.

Calyx monophyllus, quinquedentatus. Petala quinque; unguibus longis, gracilibus, sæpius staminiferis. Stamina decem, alteræ majora. Styli nunquam plures quam sunt petala. Capsula polysperma.

1. LYCHNIS acaulis.

Cucubalus acaulis. LINN. Spec. plant. p. 415.

Silerne acaulis. LINN. Fl. Lapp. 184. Fl. Svec. 368. ROYEN. Lugdb. p. 447. HALL. Helv. p. 375.

Habitat ad sabulosas Alpium summarum semitas. Cespites ut in *Dryade* & *Cherleria*. Folia linearia. Pedunculus uniflorus, uno pari foliorum. Calyx purpureus, glaber, subventricosus, decemangulatus, unguibus petalorum brevior. Petalorum limbi emarginati, purpurei, patuli, calyce breviores. Staminum antheræ flavæ. Styli tres. Germen sessile oblongum. Capsula ultra duo semina in fundo nidulantia raro continens.

2. LYCHNIS floribus digynis corymbosis, capsulis quadrivalvibus.

Saponaria calycibus cylindricis, foliis ovato-lanceolatis. LINN. H. Cliff. p. 165. H. Upsal. p. 106. Mat. Med. 214. Spec. plant. p. 408. ROYEN. Lugdb. p. 444. BOEHM. Lipsi. 369.

Saponaria foliis trinerviis, floribus umbellatis. HALL. Helv. p. 378.

Lychnis sylvestris, quæ Saponaria vulgo. TOURNEF. Inst. p. 336. ZANICHEL. p. 172. Tab. 285. SEGUIER. Veron 1. p. 428.

Carniol. *Scheiffen schelze.*

Habitat secus hortos & agros.

Folia lanceolata, sessilia, nervosa, glabra. Pedunculi umbellati terni; laterales triflori, medio simplici.

plici. Calyx infra medium craſſior, ſubinflatus, patice introverſus. Petala limbis integris, ſubcrenatis. Stamina omnia ex receptaculo. Styli duo. Germen transverſim rugoſum, cylindraceum. Capſula unilocularis, quadrivalvis. Semina 30-35. nigra, reniformia. Reſolventium princeps eſt, quoties vaſa & viſcera a pinguibus, glutinoſis lentisque coagulis obſtructa fuerint.

3. LYCHNIS floribus trigynis, calycibus campanulatis, capſula colorata.

Cucubalus calycibus campanulatis, petalis diſtantibus, fructu colorato, ramis divaricatis. LINN. Spec. plant. p. 414.

Cucubalus. BOEHM. Lipſ. 389.

Cucubalus caule ramoſo, floribus trigynis, fructu colorato globoſo. LINN. H. Cliff. p. 170. H. Upſal. p. 107. ROYEN. Lugdb. p. 448.

Cucubalus Plinii. TOURNEF. Inſt. p. 339. BOERHAAV. 2. p. 71. SEGUIER. Veron. 1. p. 432.

Habitat ad ſepes *agri Labacenſis.*

Caulis ſcandens, hirſutus. Habitus Alſines. Folia petiolata, ovato-acuminata. Pedunculi multiflori. Calyx late companulatus. Petala alba, bifida. Styli tres. Capſula nigra, ſphærica. Semina ad 40.

4. LYCHNIS floribus trigynis pendulis, calycibus ovatis inflatis venoſis, capſula ſemitriloculari.

Lychnis triſtyla, trilocularis, calyce inflato. BOEHM. Lipſ. 394.

Cucubalus calycibus ſubglobоſis glabris reticulato-venoſis, capſulis trilocularibus, corollis ſubnudis. LINN. Fl. Svec. 360. Spec. plant. p. 414.

Viſcago calyce inflato, petalis ſerratis, bifidis. HALL. Helv. p. 373.

Cucubalus floribus trigynis, calycibus glabris, capſulis trilocularibus. LINN. H. Cliff. p. 176. ROYEN. Lugdb. p. 448.

Cucu-

Cucubalus calycibus ovatis, floribus hermaphroditis. LINN. Fl. Lapp. p. 180.

Habitat in pratis cultioribus.

Caulis paniculatus. Folia mollia, lanceolata. Calyx unguibus petalorum longior. Stamina germine nihilo longiora. Capsula receptaculo subrotundo innixa, pyriformis, sexvalvis, infra medium septa producens quibus in tria locula fundus dividitur.

5. LYCHNIS trigynis secundis paniculatis pendulis, petalis convolutis bifidis.

Silene petalis bifidis, floribus lateralibus secundis cernuis, caule recurvato. LINN. Spec. plant. p. 417.

Viscago foliis imis petiolatis, petalis bifidis se convolventibus. HALL. Helv. p. 374.

Lychnis tristyla, trilocularis, petalis convolutis. BOEHM. Lipsi. 395.

Silene foliis lanceolatis, caule paniculato, floribus nutantibus, calyce striato, corolla involuta. LINN. H. Cliff. p. 171. Fl. Svec. 366. ROYEN. Lugdb. p. 446.

Habitat in pratis & circa vias.

Caulis villosus, paniculatus. Panicula viscosa. Racemi remoti, laterales, heteromalli. Calyx ruber, angulis decem villosis: villis capitatis. Petala rubra, aut rubro-virescentia; limbis ungue longioribus. Stamina, effuso polline, longiora & convoluta. Styli, post delapsas staminum longiorum antheras, ultra auriculas petalorum elati & elongati. Receptaculum cylindricum, germinis figura.

6. LYCHNIS floribus trigynis erectis, capsulis trilocularibus, foliis linearibus.

Silene floribus erectis, petalis emarginatis, calycibus teretibus, foliis lanceolatis. LINN. Fl. Svec. 367. Spec. plant. p. 421.

Silene floribus erectis, laxe distantibus, caule dichotomo. LINN. Fl. Lapp. 183.

Lychnis saxatilis alpina, glabra, pumila. TOURNEF. Inst. p. 338.

Habitat in *M. Anas.*

Caules teretes, tenues, viscidi, uni-& biflori, ramosi semipedales. Folia linearia, oris subciliatis. Flores erecti. Calyx decemlineatus, divergens, viscidus, subruber, unguibus paulo brevior. Corolla albo-virens. Capsula trilocularis, oblonga, innixa receptaculo striato convergente. Semina in uno loculo ultra duodecim.

7. LYCHNIS floribus trigynis, petalis quadrilobis, foliis linearibus.

Lychnis alpina, foliis angustis, reflexis, petalis quadripartitis. SEGUIER. Veron. supplem. p. 186.

Habitat in Alpibus *Krainburgo* proximis. Eandem reperi primo An. 1753. in amœnissimis Incliti *Admontensis Cœnobii* pascuis *Keiserhau, Styriæ superioris.*

Flos erectus. Calyx cylindricus. Limbi petalorum inæqualiter quadrilobi. Capsula oblonga, trilocularis.

8. LYCHNIS floribus pentagynis, petalis laciniatis.

Lychnis petalis quadrifidis, longissimis. HALL. Helv. p. 378. BOEHM. Lipsi. 391.

Lychnis petalis quadrifidis, fructu subrotundo. LINN. H. Cliff. p. 174. Fl. Svec. 304. Spec. plant. p. 436. ROYEN. Lugdb. p. 439.

Habitat in pratis paludosis.

Caulis sulcatus. Folia lanceolata; oris revolutis, internodiis rubris. Panicula brevis, terminalis, laxa; pedunculis bifloris & unifloris. Calyx coloratus, limbis petalorum brevior. Auriculæ segmentis capillaceis. Capsula subrotunda, unilocularis, angulis oblitteratis. Receptaculum calyciforme. Semina ovata,

ovata, pedunculo albo prædita, verrucis obtusis & cylindraceis ad lentem vitream aspera.

9. LYCHNIS floribus pentagynis, petalis nudis calyce brevioribus.

Agrostemma hirsuta, calycibus corollam æquantibus, petalis integris nudis. LINN. Spec. plant. p. 435.

Lychnis calycis laciniis petalorum longitudinem superantibus. HALL. Helv. p. 376. BOEHM. Lipsi. 396.

Agrostemma. LINN. H. Cliff. p. 185. Fl Svec. 383. ROYEN. Lugdb. p. 449.

Habitat inter segetes, nimis abunde.

Calyx hirsutus, laciniis corolla longioribus. Petala rubra, cæruleis punctis maculata, auriculis destituta. Styli villosi. Germen sessile, pyriforme. Capsula unilocularis. Semina angulosa, nigra.

10. LYCHNIS floribus dioicis. LINN. *Spec. plant.* p. 437.

Lychnis sexu distincta, foliis ovatis, acutis. HALL. Helv. p. 377. BOEHM. Lipsi. 392.

Cucubalus floribus dioicis. LINN. H. Cliff. p. 171. Fl. Svec. 361. ROYEN. Lugdb. p. 448.

Habitat ad sepes & vias.

In Flore rubro masculo, caulis hirsutus, Folia ovata, oris undulatis. Stamina villosa. *In Flore rubro femineo,* eadem, sed styli villis subcapitatis adspersi, quini; capsula proprio calyce excepta, e cujus margine modo oriebantur filamenta decem, exigua, basi villosa, ad latus flexa, terminata antheris bilocularibus aqueo & infecundo humore turgidis, modo vero idem calyx nudus erat. *In Flore albo masculo.* Calyx cylindraceus, angulis rubris, denticulis longioribus erectis. Filamenta basi villosa; antheris flavis. *In Flore albo femineo.* Calyx inter angulos venis confluen-

tibus instructus; denticulis reflexis rubris, alibi virens. Styli quinque, glabri. Capsula pyriformis.

DIANTHUS.

LINN. *Gen. plant.* 500.

Calyx monophyllus, quinquedentatus, squammis quatuor ad basim auctus. Petala quinque. Stamina decem. Styli duo. Capsula cylindracea, quadrivalvis. Semina compressa.

1. DIANTHUS floribus subaggregatis, squammis calycinis ovatis aristatis tubum subæquantibus, foliis linearibus. LINN. *H. Upsal.* p. 105. *Spec. plant.* p. 409.

Tunica calyce universali aristato, floribus brevior. HALL. p. 382. BOEHM. Lipsi. 366.

Habitat in *agri Vipacensi.*

Folia linearia. Pedunculi tres, umbellati; laterales biflori; medio ramoso: ramulis bifloris, umbellatis Calyx subsessilis, ruber, striatus; squammis augentibus oblongis, aristatis. Petala limbis rubris, crenatis, superne villosis & lineatis. Antheræ cæruleæ.

2. DIANTHUS floribus solitariis, corollis lacero-partitis, squammis calycinis ovatis acutis. LINN. *Fl. Suec.* 344.

Dianthus floribus solitariis, squammis calycinis subovatis brevissimis, corollis multifidis: fauce pubescentibus. LINN. Spec. plant. p. 411.

Dianthus floribus solitariis, petalis multifidis: basi canaliculatis. LINN. H. Upsal. p. 105. SAUVAG. Monsp. p. 143.

Tunica petalis profundissime laciniatis. HALL. Helv. p. 382. BOEHM. Lipsi. 365.

Dianthus petalis multifidis. LINN. H. Cliff. p. 174. ROYEN. Lugdb. p. 443.

Varietas

Varietas una *Petalis imberbibus*, circa *Idriam* in *Struk* ad rupes orta; squammis calycinis in acumen longum, erectum, virens, attenuatis; petalis alborubris. Odore liliorum alborum. Altera *Petalis fauce pubescentibus*, circa *Coka*, & alibi in asperis locis habitans, gerit ramos semiteretes, unifloros; calycem uncialem, dentibus margine albo membranaceo, squammis subrubris ovatis; acumine vix bilineari; petalis albis, fauce villis rubris; aut petalis rubris & fauce villis nigris pubescente.

3. DIANTHUS floribus solitariis, petalis crenatis: unguibus triquetris.

Tunica angustifolia, procumbens, petalis serratis. HALL. Helv. p. 382.

Dianthus floribus solitariis, squamis calycinis subovatis brevissimis, corollis crenatis. LINN. H. Cliff. p. 164. H. Upsal. p. 104. Mat. Med. 213. Spec. plant. p. 110. ROYEN. Lugdb. p. 443.

Habitat in apricis & aridis locis calidioris Carniolæ.

Folia linearia. Nodi in caule quini. Caulis uniflorus. Petalorum limbi, rosei, ovati, glabri, crenati; ungues triquetri.

Conserva & Syrupus ex recentibus corollis scopo cardiaco, si vis vitæ in morbis acutis defecerit, inservire potest.

4. DIANTHUS floribus solitariis, petalis emarginatis, foliis linearibus ciliatis.

Habitat in arenosis apricis *Carniolæ* collibus.

Radix crassa, multicaulis. Caules vix semipedales, adscendentes, ramosi. Folia linearia, acuta, semiteretia, ciliata. Rami uniflori. Petala parva, pallide rubra, fauce glabra. integra, emarginata; unguibus longitudine calycis tribus lineis rubris exarati.

5. DIAR-

5. DIANTHUS caule unifloro, corollis crenatis, squamis calycinis tubum æquantibus, foliis linearibus. LINN. *Spec. plant.* p. 412.

Habitat ad vias in *agro Vipacensi* & circa *Heidenschafft*.

Caulis semipedalis. Folia linearia, acuta, trinervia. Squammæ pallide rubræ in mucronem calycis longitudine desinentes. Petala rubella, crenata. Corollæ centrum circulo saturatiore & pubescente ornatum. Ungues petalorum subtetragoni. Stigmata pubescentia. Ergo non idem cum *Alpino* LINNÆI.

LINUM.

TOURNEF. *Inst.* p. 339. *Tab.* 176.

Calycis foliorum, Petalorum, Staminum, Stylorum, Angulorum & Valvarum capsulæ, numerus quinarius. Capsulæ globosa, acuta; loculis decem.

1. LINUM foliis oppositis ovato-lanceolatis caule dichotomo, corollis acutis. LINN. *H. Cliff.* p. 372. *Fl. Suec.* 255. *Mat. Med.* 157. *Spec. plant.* p. 281. ROYEN. *Lugdb.* p. 434.

Linum foliis conjugatis, petalis albis, acutis. HALL. Helv. p. 372. BOEHM. *Lipsi.* 362.

Habitat in herbidis sterilibus pascuis.

Caulis antiquus repit, annui eriguntur, supra medium dichotomi. Folia in ramis alterna, alibi opposita. Calyx acutus, integerrimus. Petala alba; limbis ovatis & lateraliter ita contractis ut acutiores quam reipsa sunt, videantur; unguibus flavis. Antheræ, & stigmata flavo colore tincta.

Sapor amaricans & mucilaginosus. Vis cathartica.

2. LINUM foliis alternis, calycibus subserratis scabris lanceolatis subsessilibus, ramis dichotomis. LINN. *Spec. plant.* p. 279.

Habitat

Habitat in *M. Anas.*

Caulis angulatus. Folia oblonga, obtusa, glabra, patula. Calyx acutus, serrulatus. Petala flava, croceis lineis notata; unguibus ita cohærentibus, ut corolla, veluti In Oxalyde, integra decidat.

3. LINUM foliis alternis lanceolatis, calycibus acutis integris.

Linum calycibus capsulisque obtusis, foliis alternis lanceolatis integerrimis. LINN. Spec. plant. p. 277.

Linum perenne, foliis lanceolatis, argute mucronatis, calyce mutico. HALL. Helv. p. 371.

Linum perenne, ramis foliisque alternis linearilanceolatis. LINN. H. Cliff. p. 114. ROYEN. Lugdb p. 434.

Habitat circa *S. Vittum*, in *M. Anas*, circa *Zirchnitz*, *Hochedraschza*.

Caulis tres. Folia lanceolata, imbricata, glabra, trinervia, villis glanduloſis utrinque pubescenria. Calyx acutus, integer, glanduloſus. Petala cærulea, ovata, acuminata; unguibus flavis & albis, plica nectarifera instructis. Filamenta alba. Idem videtur ac *perenne* LINNÆI.

4. LINUM foliis alternis linearibus inferne scabris, calycibus acutis.

Linum calycibus acuminatis, foliis sparsis linearisetaceis retrorsum scabris. LINN. Spec. plant. 278.

Habitat circa *Labacium.*

Caulis glaber. Folia imberbia, linearia. Calyx acutus, infra medium glanduloſus. Petala dilute purpurascentia aut camea.

CLASSIS XXVIII.

NASTURTIA.

Tedradynamiæ LINNÆI. *Gen. plant.* Siliquosæ EJUSDEM. *Class. plant.*

Calyx tetraphyllus, deciduus. Petala quatuor, decidua, caryophyles Stamina sex, erecta: duobus brevioribus. Stylus unicus. Fructus siccus, sæpius

sæpius bilocularis. Sapor acris, mordens, chemyca analysis, insulsi fere a combustione relicti cineres, magnam salis volatilis copiam hisce plantis inesse docent. Acidam itaque acrimoniam corrigunt, & coagula resolvunt, quæ ab inertia solidorum, ab austero, aut acido genita, multos chronicosque morbos excitant. Hinc etiam scorbuta medentur optime, quem post longas versus borealia loca suscepta navigationes, & spontaneas ingestorum vegetabilium degenerationes, acrimonia acida fovet. Caveant vero Medici ab harum stirpium usu, ubi fœtor oris, putredo gingivarum, caloris augmentum, alkalescentia, putrida, & nimium agitata liquida produnt, ne eorum laxa compages, motu magis excitato, inde penitus destruatur.

Nullibi major Recentiorum dissensus observatur, quam in hisce generibus, quia notæ ab uno excogitatæ, alteri insufficientes visæ sunt; quarum difficultatum nullus erit finis, nisi unanimiter consentiant Botanici, Generum Definitiones, ab ea floris parte potissimum esse petendas, quæ cæteris constantior & facillor observatur. Hæc meditatus, relicto fructu & habitu, ex glandulis sive tuberculis basi staminum vel petalorum adsidentibus aut deficientibus quas in *Nasturtiis filiquosis* jam ante me LINNÆVS annotavit, *Siliculosa* quoque Genera definire decrevi; Nam 1. Flos in characteribus constituendis certior est quam fructus. *Phil. Bot.* 177. 2. Sufficiet botanophilis unice obiterque annotasse ad qualem ordinem genera, ex fructu siliculoso aut siliquoso pertineant, quod in plerisque intra florem adultum! in aliis autem statim ac petala deciderunt, ex stylo facile conspici potest. 3. Omnes aliæ floris partes fallaciores observantur, ut patet ex characteribus. RAY. TOURNEFORTII, aliorumque.

I. *Siliculosa.*

COCHLEARIA.

Gladulæ nullæ. 1. COCH-

1. Cochlearia siliculis sphæricis monospermis compressis rugosis.

Myagrum siliculis globosis compressis punctorugosis. Linn. Spec. plant. p. 641.

Myagrum siliculis globosis compressis scabris. Linn. H. Cliff. p. 328. Fl. Svec. 542. Royen. Lugdb. p. 330. Hall. Helv. p. 536.

Myagrum monospermum, hirsutum, siliquis rotundis. Loesel. Borussi. p. 174. Icon. 56.

Rapistrum arvense, folio auriculato, acuto. Tournef. Inst. p. 211. Vaillant. Paris. p. 171. Seguier. Veron. 1. p. 368.

Habitat inter segetes.

Calyx hirsutus, flavescens. Petalorum limbus ovatus. Siliculæ loculum unum monospermum, alterum vacuum.

2. Cochlearia siliculis sphæricis polyspermis glabris, foliis radicalibus petiolatis: caulinis sessilibus linearibus.

Cochlearia foliis radicalibus lanceolatis serratis, caulinis linearibus. Sauvag. Monsp. p. 122. Linn. Spec. plant. p. 648.

Alyssum foliis ellipticis, petiolatis, levibus, rarius serratis. Hall. Helv. p. 538.

Cochlearia perennis, saxatilis, minima. Magnol. H. p. 59.

Habitat in asperrimis locis Alpium *Carniolæ superioris.*

Folia ima conferta, petiolata, uno aliove dente notata; caulina sessilia integerrima. Pedunculi imi ramosi. Calycis foliola cava, subalba, ovata, petalis duplo breviora. Petala alba, integerrima; ungue brevi. Capsula sphærica; loculis tetraspermis. Semina rufa, hinc obtusa, inde acuminata.

3. Cochlearia siliculis lanceolatis polyspermis, caule paniculato nudo.

Draba

Draba caulibus nudis, foliis incisis. LINN. H. Cliff. p. 333. Fl. Svec. 523. Spec. plant. p. 642. ROYEN. Lugdb. p. 333. HALL. Helv. p. 538. BOEHM. Lipſ. 295.

Alyſſon vulgare, Polygoni folio, caule nudo. TOURNEF. Inſt. p. 217. VAILLANT. Paris. p. 11. SEGUIER. Veron. p. 375. Tab. 4. fig. 3.

Habitat ſecus vias, paſſim.

LEPIDIUM.

Glandulæ duo, ſuſtinentes ſtamen quodque minus.

1. LEPIDIUM.

Lepidium foliis pinnatis: pinnis lanceolatis. HALL. Helv. p. 347.

Habitat in M. *Storschitsch.*

Folia radicalia pinnata; pinnis lanceolatis, integris. Pedunculi pinnis longiores, patuli. Calycina folia petalorum unguibus nihilo longiora. Petalorum limbi calyce breviores. Antheræ flavæ. Silicula calyce duplo longior, oblonga, acuminata.

THLASPI.

Glandulæ quatuor, inter ſtamina majora & minora poſitæ.

1. THLASPI ſiliculis orbiculatis compreſſis emarginatis.

Naſturtium ſiliquis orbiculatis, foliis oblongis, dentatis, glabris. HALL. Helv. p. 545.

Thlaſpi ſiliculis orbiculatis, foliis oblongis dentatis glabris. LINN. Fl. Lapp. p. 251. Fl. Svec. 530. H. Cliff. p. 330. Spec plant. p. 646. Mat. Med. 323. ROYEN. Lugdb. p. 333. BOEHM. Lipſ. 289.

Habitat in arvis, abunde.

Folia

Folia ſagittata, amplexicaulia. Petala ſubemarginata. Calycina folia ovata, glabra. Siliculæ valvæ alatæ, naviculares, polyſpermæ.

2. THLASPI ſiliculis obcordatis; foliis radicalibus pinnatifidis. LINN. *Spec. plant.* p. 647.

Thlaſpi ſiliquis verticaliter cordatis. LINN. Fl. Lapp. 252. H. Cliff. p. 330. Fl. Svec. 552. ROYEN. Lugdb. p. 334. DALIB. Paris. p. 196.

Naſturtium ſiliquis verticaliter cordatis. HALL. Helv. p. 545.

Burſa Paſtoris MATH. CAMER. LOBEL. LUDWIG. BOEHM. &c.

Habitat in cultis, paſſim, *Pleſchitsch* dictum.

Folia juniore integerrima ſunt, per ætatem dentata, ac tandem pinnatifida. De adſtringente vi *Burſæ Paſtoris* mira loquitur Orbis, quam tamen nec ſapor, nec Claſſica virtus, nec propria experimenta demonſtrant.

3. THLASPI ſiliculis orbiculatis bidentatis, floribus racemoſis, petalis exterioribus majoribus.

Iberis foliis lanceolatis acutis ſubdentatis, floribus racemoſis. LINN. Spec. plant. p. 649.

Habitat circa *Heidenſchafft.* Auguſto M. florens.

Foliis integerrimis, linearibus, & floribus rubris differt a *Thlaſpi amaro* TABERNEM. p. 853. cum quo convenit ſapore amaro intolerabili; floribus corymboſis; petalis exterioribus majoribus, calycis colore; ſiliculis in duo tanquam cornua deſinentibus, loculis monoſpermis.

4. THLASPI ſiliculis emarginatis, foliis radicalibus ovatis: caulinis amplexicaulibus. GUETTARD. *Stamp.* p. 142. DALIB. *Paris.* p. 196.

Thlaſpi ſiliculis ſubrotundis, foliis amplexicaulibus cordatis ſubſerratis. LINN. Spec. plant. p. 646.

Naſturtium foliis imis ovatis, reliquis amplexicaulibus, cordatis. HALL. Helv. p. 544.

Habitat in *Carniolæ* collibus apricis herbidis, verno tempore.

Caulis ſimplex, ſpithamæus. Folia glabra, ſubglauca; ima ovata; caulina ſagittata. Calyx ſubruber, non gibboſus. Petala alba, calyce duplo longiora. Siliculæ horizontaliter patentes, emarginatæ, Burſæ paſtoris effigie, ſuperne concavæ, ſubtus convexæ; loculis 2-4. ſemina continentibus.

LUNARIA.

Glandulæ quatuor: utrinque una inter ſtamen quodque minus & ſtylum: utrinque alia inter calycem idemque ſtamen.

1. LUNARIA.

Lunaria ſiliculis oblongis. LINN. Spec. plant. p. 653.

Lunaria foliis cordatis, perennis, ſiliqua longiore, HALL. Helv. p. 540.

Lunaria foliis cordatis. LINN. H. Cliff. p. 333. Fl. Svec. 529. ROYEN. Lugdb. p. 332.

Habitat in ſylvis umbroſis udisque.

Radyx perennis. Folia cordata. Flores racemoſi. Calycina folia colorata, acu terminata. Siliqua pedunculata; ſepto valvis perpendiculari. Semina pauca, compreſſa, alata.

BISCUTELLA.

Glandulæ ſex: una utrinque inter ſtamina majora & ubique una inter ſtamen quodque majus minusque, cohærens.

1. BISCUTELLA.

Biſcutella ſiliculis orbiculato - didymis a ſtylo divergentibus. LINN. H. Cliff. p. 329. H. Upſal. p. 185.

p. 185. Spec. plant. p. 653. Royen. Lugdb. p. 337.

Biscutella foliis aspero, dentato, siliqua levi. Hall. Helv. p. 541.

Habitat in aridis collibus, non raro.

Caulis basi villosus. Calyx corollæ concolor, glaber; foliolis alterne acutioribus. Petalorum margines crispi, limbi ovati. Stylus persistens. Silicula orbiculata, monosperma, didyma, media parte suæ circumferentiæ cohærens invicem.

II. *Siliquosæ.*

SISYMBRIUM.

Glandulæ duo: utrinque una ad basim staminis cujusque minoris.

1. Sisymbrium.

Habitat verno tempore in apricis siccisque collibus herbidis abunde.

Caulis spithamæus, angulatus, glaber, ramosus. Folia omnia pinnata: pinnis oblongis, dentatis, glabris, extrema majore. Calyx ruber, glaber, non gibbosus; foliolis erectis, ovatis, corolla duplo brevioribus. Petala alba, limbis integerrimis. Staminum filamenta alba, pellucida; antheræ flavæ. Siliqua uncialis, erecta, compressa; valvis ab imo sursum revolutis. Semina lentiformia, in uno loculo 15.

ALLIARIA.

Glandulæ duo: utrinque una cingens bases staminum majorum.

1. Alliaria.

Sisymbrium foliis cordatis. Linn. H. Cliff. p. 338. Fl. Svec. 558. Mat. Med. 334. Spec. plant. p. 660. Royen. Lugdb. p. 342. Dalib. Paris.

Paris. p. 291. *Retusis.* Hall. Helv. p. 553. Boehm. Lipſ. 281.

Habitat ad ſepes *Carniolæ calidioris.*

Limbi petalorum, ſtaminibus brevioribus longiores.

Scordium odore & vi medica putredini in ulceribus gangrænoſis efficaciter reſiſtente imitatur.

DENTARIA.

Glandulæ duo: utrinque una inter calycem & ſtamen minus.

1. Dentaria foliis imis digitatis: caulinis ternatis.

Dentaria foliis ſummis digitatis. Linn. Spec. plant. p. 654.

Dentaria foliis quinatis. Hall. Helv. p. 556.

Habitat in Fagetis.

Calyx corollæ concolor. Petala rubra, venis ſaturatioribus, unguibus calyce brevioribus. Filamentorum apices petalorum colore.

2. Dentaria foliis ſimplicibus: imis petiolatis, ſuperioribus amplexicaulibus.

Turritis foliis radicalibus dentatis hiſpidis, caulinis integerrimis amplexicaulibus glabris. Linn. H. Cliff. p. 339. Fl. Svec. 544. Spec. plant. p. 666. Royen. Lugdb. p. 339. Hall. Helv. p. 560. Dalib. Paris. p. 203.

Habitat in ſterilibus & lapidoſis.

Siliqua uncialis, ſcapo adpreſſa.

TURRITIS.

Glandulæ quatuor: utrinque una ſuſtinens ſtamen quodque minus, & alia utrinque inter ſtamina longiora & calycem.

1. Turritis foliis lanceolatis alternis hiſpidis.

Turritis

Turritis foliis asperis, dentatis, caule simplici. HALL. Helv. p. 561.

Turritis foliis omnibus dentatis hispidis alternis amplexicaulibus. LINN. H. Cliff. p. 339. Fl. Svec. 545. Spec. plant. p. 666. ROYEN. Lugdb. p. 339. DALIB. Paris. 62. SEGUIER. Veron. 1. p. 384.

Turritis major. TOURNEF. Inst. p. 223. ZANICHELL. Ven. p. 266. Tab. 170.

Habitat circa *Idriam.*

Caulis teres. Folia lanceolata, hispida; ima congesta, obtusa; caulina imbricata, acutiora, amplexicaulia: marginibus reflexis. Petala alba, linearia, calyce duplo longiora. Siliqua longa, scapo adpressa.

2. TURRITIS foliis liratis.

Erysimum foliis liratis, extimo subrotundo. LINN. Fl. Svec. 557. Spec. plant. p. 660.

Erysimum foliis pinnatis; pinna extrema amplissima, subrotunda. HALL. Helv. p. 549. BOEHM. Lipsi. 279.

Erysimum foliis basi pinnato-dentatis, apice subrotundis. LINN. Fl. Lapp. 264. H. Cliff. p. 338. ROYEN. Lugdb. p. 342. DALIB. Paris. p. 202.

Sisymbrium Erucæ folio glabro, flore luteo. TOURNEF. Inst. p. 226. VAILLANT. Paris. p. 185. BOERHAAV. 2. p. 16. SEGUIER. Veron. 1. p. 390.

Habitat circa fluvios.

Caules sulcati. Folia ima basi amplexicaule, folio-sa: pinna extrema cordato-subrotunda, sed ovata in foliis quæ caulem ornant.

3. TURRITIS foliis verticillatis ternatis.

Dentaria foliis ternis ternatis. LINN. Spec. plant. p. 653.

Dentaria foliis omnibus ternatis. ROYEN. Lugdb. p. 340.

Dentaria. V. TABERNEM. p. 325.

Habitat circa *Idriam* frequens, verno tempore.

Radix alba, nodosa, repens. Caulis unicus, teres. Petioli tres verticillati, quorum quilibet tria folia gerit serrata: serraturis subciliatis, glandulosis. Calyx corollæ concolor. Flores racemoso corymbosi; petalis aquose luteis, venulis saturatioribus, calyce duplo longioribus. Siliqua erecta.

4. TURRITIS foliis pinnatis, caule tereti.

Cardamine foliis pinnatis: foliolis radicalibus subrotundis, caulinis lanceolatis. LINN. Spec. plant. p. 656.

Cardamine foliis pinnatis, imorum pinnis subrotundis, superiorum oblongis & strictis. HALL. Helv. p. 559.

Habitat in pratis paludosis.

Caulis fistulosus, teres, glaber. Foliorum pinnæ lineares, integerrimæ; extrema ovata, obsolete dentata. Petala subrubra; unguibus virescentibus.

5. TURRITIS foliis pinnatis, caule angulato.

Sisymbrium siliquis declinatis, foliis pinnatis: foliis subcordatis. LINN. H. Cliff. p. 336. Fl. Svec. 552. Mat. Med. 331. Spec. plant. p. 657. ROYEN. Lugdb. p. 340. DALIB. Paris. p. 203.

Sisymbrium foliis pinnatis, angulosis, floribus super folia vix elatis. HALL. Helv. p. 549.

Carniol. *brungros.*

Habitat circa aquas, & in pratis paludosis, prope *Seirak, Labacium, Planinam, Krainburg* &c.

Caulis angulatus, ramosus. Pinnaria paria quatuor; impare majore; reliquis ovatis, sinuato-crenatis, uno latere sessilibus. Calyx patens, virens, foliolis alternis postice deorsum gibbis. Petala alba, subrugosa, calyce triplo longiora. Antheræ rubro, demum fuscæ.

Acris

Acris est admodum, ejusque sal nihil est aliud, quam sal alkali acido saturatum. GEOFFROY. *Mat. Med.* hinc recte monuit *Magnus* BOERHAAVIUS in scorbuto non promiscue adhibendum esse, sed tunc unice cum acida præcipue acrimonia dominatur, neque putridæ humorum dissolutionis signa apparent. Ad chronicos pulmorum morbos commendant aliqui, imo Phthysici pene consumpti, assiduo herbæ ejusdem usu, integre sanati exemplum habet BONETUS. *Sepulc. anat. Lib.* 2. *Sect.* 7. *Obs* 23; sed in ea historia, circumstantiæ tales sunt, quæ fidem non merentur. Incolæ nostri *Nasturtio aquatico* in acetariis utuntur.

ERYSIMUM.

Glandulæ quatuor distinctæ: utrinque una ad latus staminis cujusque minoris, ut in *Thlaspi.*

1. ERYSIMUM.

Erysimum siliquis scapo adpressis. LINN. H. Cliff. p. 337. Fl. Svec. 554. Mat. Med. 333. Spec. plant. p. 660. ROYEN. Lugdb. p. 342. DALIB. Paris. p. 200. BOEHM. Lipsi. 273.

Sisymbrium foliis pinnatis, extremo lobo triangulo, siliquis erectis cauli adpressis. HALL. Helv. p. 551.

Carniol. *Touge Scheneff.*

Habitat in ruderatis.

Caulis teres, tuberculosus. Rami horizontaliter patentes, dum siliquas gerunt reflexi. Calyx subhirsutus, apice fusco-ruber. Petala flava. Siliqua teres, subulata, hirsuta, uncia brevior.

Vi humanæ vitæ, aut igne chemico soluta planta, non modicam salis acris alcalini copiam exhibet, quod lentos humores alicubi in visceribus aut vasis hærentes incitat atque resolvit; caute itaque utantur Medici *Erysimo* in Pectoris morbis acutis

RORIPPA.

Glandulæ quatuor, ut in *Eryſimo*, ſed cohærentes.

1. RORIPPA.

Siſymbrium ſiliquis declinatis, foliis pinnatis; foliolis lanceolatis ſerratis. LINN. H. Cliff. p. 336. Spec. plant. p. 657. ROYEN. Lugdb. p. 341. DALIB. Paris. p. 204. BOEHM. Lipſ. 278.

Siſymbrium pinnis profunde ſerratis, diſſitis, HALL. Helv. p. 548.

Siſymbrium paluſtre repens, Naſturtii folio, TOURNEF. Inſt. p. 226. VAILLANT. Paris. p. 185. BOERHAAV. 2. p. 16. SEGUIER. Veron. 1. p. 391.

Habitat in udis & ſterilibus.

Calyx corollæ concolor.

Nomen Genericum Geſnerianum eſt.

HESPERIS.

Glandulæ quatuor: una utrinque inter ſtamen quodque minus & corollam; & alia utrinque inter ſtamina majora & calycem.

1. HESPERIS.

Habitat in rupibus fere inviis *M. Anas.*

Ex antiquis, lignoſis, nudis & teretibus caulibus oriuntur annui erecti, angulati, glabri, ſimplices, vix pedales. Folia uncialia, linearia, integerrima, ſeſſilia, glabra, apicibus dilatatis. Flores corymboſi; imo folio excepti; ſuperiores nudi; pedunculis anguloſis, brevibus. Calycina folia apicibus fuſco-rubris, alibi luteo-virentia, glabra, alterne gibba & latiora. Petala limbis flavis, ſphæricis, integerrimis, calyce brevioribus; unguibus pallidioribus, linearibus, deorſum convergentibus, calycis longitudine. Germen ſtaminum majorum longitudine, glabrum, tetragonum. Facies *Leucoii.*

SINA-

SINAPIS.

Glandulæ quatuor: una utrinque inter ſtylum & ſtamen quodque minus; & alia utrinque inter ſtamina longiora & calycem.

1. SINAPIS.

Habitat in *M. Ortea*, & circa *Pelant.*

Caulis teres, ramoſus, debilis. Folia lanceolato-linearia, obiter dentata, remota, glabra. Calyx ſubluteus. Petala alba, integra. Siliqua teres, linearis, glabra.

CARDAMINE.

Glandulæ ſex: utrinque duo inter ſtamen quodque minus & majus proximum; alia vero utrinque inter ſtamina majora & calycem.

1. CARDAMINE foliis ternatis. HALL. *Helv.* p. 559. LINN. *Fl. Svec.* 563.

Cardamine foliis ternatis obtuſis, caule ſubnudo. LINN. Spec. plant. p. 654.

Habitat circa *Idriam* in udis, verno tempore frequens.

Folia glabra, ternata, ſerrata, nitida, firma. Petalorum ungues calyce breviores, auriculati; limbi integerrimi, marginibus rugoſis.

2. CARDAMINE foliis decompoſito-pinnatis.

Siſymbrium petalis calyce minoribus, foliis decompoſito-pinnatis. LINN. Fl. Svec. 553. Spec. plant. p. 659. Mat. Med. 332. DALIB. Paris. p. 204.

Siſymbrium pinnis foliorum pinnatis, pinnulis ſubhirſutis, linearibus. HALL. Helv. p. 550.

Siſymbrium annuum, Abſynthii minoris folio. TOURNEF. Inſt. p. 226. SEGUIER. Veron. 1. p. 392.

Habitat ad ſepes, & cultis in locis.

Caulis angulatus. Stamina calyce longiora. Siliqua patens, uncialis, glabra, ſubteres. Semina compreſſa, ſubovata.

Semen lumbricis adverſum eſt. Tota planta acris in acutis morbis relinquenda.

BARBAREA.

Glandulæ ſex, ut in *Rorippa*, ſed eæ, inter quas ſtamina minora prodeunt, cohærent invicem.

1. BARBAREA.

Dentaria foliis inferioribus pinnatis, ſummis ſimplicibus. LINN. H. Cliff. p. 335. Fl. Svec. 565. Spec. plant. p. 651. ROYEN. Lugdb. p. 340. HALL. Helv. p. 557.

Habitat in *ſylvis Idrienſibus.*

Calycinorum foliorum margines albi, membranacei. Petala nondum evoluta apices rubros habent, explicata vero expalleſcunt & alba fiunt.

CLASSIS XXIX.

PAPILIONACÆ.

TOURNEF. PONTEDER. LINN.

Leguminoſæ. MORISON. HERMAN. RAY. BOERHAAV.

ROYEN. HALL.

Diadelphiæ Decand. LINN.

Conveniunt cum *Naſturtiis* Flore tetrapetalo & fructu bivalvi; differunt vero Calyce monophyllo; Corolla irregulari, papilionem quodammodo referente; ſtaminibus plerumque decem: uno libero & ſuperiore, aliis e vagina membranacea, germen involvente prodeuntibus; Seminibus farinaceis & flatulentis.

I. *Sili-*

I. *Siliqua uniloculari.*

ANTHYLLIS.

LINN. *Gen. plant.* 773.

Character eſſentialis eſt in foliis digitatis umbellam denſam florigeram comprehendentibus, & fructu intra calycem latente, exiguo, monoſpermo; Calyx enim inflatus ex vulgari ſpecie deſumitur. HALL. in *Charact. Vulnerariæ. Helv.* p. 569.

1. ANTHYLLIS herbacea, foliis pinnatis inæqualibus, capitulo terminali. LINN. *Spec. plant.* p. 719.

Vulneraria foliis ad terram ſimplicibus, ovatis, ad caulem pinnatis. HALL. Helv. p. 570.

Anthyllis foliis pinnatis, foliolis pluribus: terminali majore. LINN. H. Cliff. p. 371. Fl. Svec. 594. ROYEN. Lugdb. p. 389. BOEHM. Lipſ. 322.

Anthyllis. RIVIN. tetrap. Tab. 18.

Habitat in ſiccioribus pratis frequens.

Folia ima ſimplicia, caulina pinnata; pinnarum paria ſex, impare majore; reliquis lanceolatis, ſupra maculatis, inferne villoſis. Capitulum terminale, duplex. Vexilli latera reflexa. Siliqua unico legumine fœta.

2. ANTHYLLIS herbacea, foliis pinnatis æqualibus, capitulo terminali. LINN. *Spec. plant.* p. 719.

Vulneraria foliis pinnatis, æqualibus, ſub umbella palmatis. HALL. Helv. p. 569. SAUVAG. Monſp. p. 237.

Habitat in *M. Anas*, ſupra Sacellum *Divi Hieronymi.*

Pinnarum paria 10-12; Hæ vero ellipticæ, æquales, dorſo & oris villoſis. Vexillum calyci parallelum. Capitulum ſimplex.

TRI-

TRIFOLIUM.

LINN. *Gen. plant.* 802.

Numerus, figura, proportio & ſitus partium fructificationis, characterem *Trifolii* abſolutum non ſuppeditant. Ergo habitus non ſemper occulte conſulendus, & a cohorte notarum characteriſticarum perpetuo rejiciendus eſt; ſunt enim *Trifolio*, flores in capitulum congregati; Folia ternata; bracteis amplexicaulibus; Calyx tubuloſus, quinquedentatus; Siliqua univalvis, calyce vix longior.

1. TRIFOLIUM corollis monopetalis inæqualibus, ſpicis ſubrotundis, ſtipulis ſetaceis, foliis integerrimis.

Trifolium ſpicis ſubvilloſis cinctis ſtipulis oppoſitis membranaceis, corollis monopetalis. LINN. Spec. plant. p. 768.

Trifolium ſpicis villoſis, foliis inſidentibus, vaginarum caudis capillaribus. HALL. Helv. p. 585. BOEHM. Lipſ. 317.

Trifolium ſpicis villoſis, caule diffuſo, foliolis integerrimis. LINN. H. Cliff. p. 375. Fl. Svec. 612. ROYEN Lugdb. p. 580. DALIB. Paris. p. 222.

Triphylloides pratenſis, flore purpureo. PONTEDER. Antholog. p. 241. SEGUIER. Veron. 1. p. 274. En quomodo ſociæ divellantur ſtirpes, quoties Ars imperat Naturæ.

Trifolium pratenſe, flore monopetalo. TOURNEF. Inſt. p. 404. BOERHAAV. 2. p. 31. LINN. Fl. Lapp. p. 273. ZANICHELL. Ven. p. 264. Icon. 185.

Carniol. *Petela.*

Habitat in omnibus pratis.

Caulis teres, villoſus. Bractea venoſæ; auriculis ſetaceis, breviſſimis. Capitula ſubrotunda. Calyx villo-

villosus, excepto longitudinali dentium tractu. Corollæ vexillum alis, alæ carina longiores. Siliqua intra calycem, cujus faucem squamæ claudunt, mono- & disperma, transversim dehiscens. Seritur in arvis pro animalium pabulo.

2. TRIFOLIUM corollis monopetalis æqualibus calycino imo dente nihilo longioribus, spicis oblongis, foliis serrulatis.

Trifolium spicis villosis, calyce glabro, dentibus villosis, imo longissimo. HALL. Helv. p. 585. positum inter tetrapetala.

Trifolium spicis villosis longis, corollis monopetalis, caule erecto, foliis serrulatis. LINN. H. Cliff. p. 375. Spec. plant. p. 768. ROYEN. Lugdb. p. 380.

Habitat in aridis & apricis circa *Tolminum, Labacium, S. Vittum.*

Caulis erectus, teres, glaber. Folia lanceolata, vaginis amplis; in bracteas acutas, marginibus reflexis præditas desinentibus. Spica digiti fere longitudine, pollicis crassitie, acuminata. Flores imi verticillati, superiores sparsi. Corolla purpurea, imo calycis dente minime longior, Vexillo, alis & carina æqualiter longis. Calycini dentes villosi, tubus glaber, striatus, fauce clausa villis. Siliqua intra calycem disperma.

3. TRIFOLIUM corollis monopetalis æqualibus, spicis subrotundis, stipulis lanceolatis, foliis integerrimis.

Trifolium spicis villosis, foliis insidentibus, vaginarum caudis latioribus. HALL. Helv. p. 585.

Trifolium spicis villosis subovatis, caule erecto, foliis ovato-oblongis integerrimis. ROYEN. Lugdb. p. 380.

Habitat in dumetis & sylvis, non rarum.

Differt

Differt à ſpecie ſecunda caule ſubangulato, ſtriato. Foliis integerrimis, ſubtus villoſis; bracteis planis, piloſis. Spica ſubrotunda, ſubſeſſili, ut in primo. Calyce ſtriis rubris exarato; tubo glabra; dentibus ubique villoſis. Corollæ tubo denticuli calycini longioris longitudinem æquante.

Ergo diverſa ſpecies eſt, inter *Trifolium pratenſe*, & *majus tertium* CLUSII media, prætervisa Egregio LINNÆO, & inter tetrapetalas non bene relata a SEGUIERIO, BOEHMERO & aliis, cum vere monopetala ſit.

4. TRIFOLIUM corollis polypetalis calyce minoribus, ſpicis cylindraceis villoſis, caule dichotomo.

Trifolium ſpicis villoſis ovalibus, dentibus calycis ſetaceis æqualibus. LINN. H. Cliff. p. 375. Fl. Svec. 616. Spec. plant. p. 769. ROYEN. Lugdb. p. 379. DALIB. Paris. p. 225.

Trifolium ſpicis villoſis, calyce & denticulis plumoſis. HALL. Helv. p. 583. BOEHM. Lipſ. 321.

Habitat in aridis, & inter ſegetes *Agri Labacenſis.*

Caulis erectus, hirſutus, dichotomus. Folia ex emarginatura ariſtam brevem emittentia. Spicæ villoſiſſimæ, cylindraceæ. Calyx omnino villoſus, dentibus fere æqualibus, corolla longioribus.

5. TRIFOLIUM corollis polypetalis perſiſtentibus, vexillis plicatis, ſpicis ovalibus, caule erecto.

Trifolium racemis ovalibus ſtrepentibus, caule erecto. HALL. Helv. p. 581.

Trifolium ſpicis ovalibus imbricatis, vexillis deflexis perſiſtentibus, caule erecto. LINN. H. Cliff. p. 374. Fl. Svec. 617. Spec. plant. p. 772. ROYEN. Lugdb. p. 378. DALIB. Paris. p. 226. BOEHM. Lips. 316.

Habitat in pratis ſiccioribus.

Caulis

Caulis erectus, glaber. Folia ovalia, emarginata, supra medium serrata. Scapi nudi, laterales, villosi. Flores in uno capitulo raro ultra 20. Vexillum subrotundum, emarginatum, rugosum, infra medium serrulatum. Calycini dentes glabri. Siliqua calyce longior, glabra, monosperma, corollæ concolor, pedunculata, bivalvis; valva inferiore obtusa.

6. TRIFOLIUM corollis polypetalis, spicis terminalibus subrotundis, foliis lanceolatis, caule erecto.

Trifolium capitulis terminalibus, corollarum vexillis subulatis, caule erecto, foliis lanceolatis serratis. LINN. Fl. Svec. 611. Spec. plant. p. 770. DALIB. Paris. p. 223.

Trifolium caule erecto, spicis albis, densis, brevibus terminato, foliis nervosis, inferne subhirsutis. HALL. Helv. p. 583.

Habitat in pratis vulgare.

Caulis erectus, sulcatus, villosus. Folia lanceolata, venosa, subciliata, subtus villosa. Flores albi, in capitulum erectum globosum terminale collecti. Calyx villosus. Germen ad basim villosum. Stamina octo. Antheræ flavæ.

7. TRIFOLIUM corollis polypetalis, spicis subrotundis, calycibus inflatis bidentis reflexis reticulatis.

Trifolium spicis subovatis, calycibus inflatis dorso gibbis. LINN. H. Cliff. p. 373. ROYEN. Lugdb. p. 378. HALL. Helv. p. 582.

Trifolium capitulis subrotundis, calycibus inflatis bidentatis reflexis, caulibus repentibus. LINN. Fl. Svec. 613. Spec. plant. p. 772.

Trifolium fragiferum folio oblongo. VAILLANT. Paris. p. 195. Tab. 22. fig. 2.

Habitat circa *Heidenschafft*.

Caulis repens Petioli digitum longi, villosi, teretes; bracteis acutis. Folia ovata, serrulata, emarginata; nervis villosis. Scapi fere semipedales, terminati

minati capitulo ſubovato. Pedicelli virentes, villoſi, breves. Corolla rubra. Calyx prædictus, ſere clauſus, demum reflexus. Siliqua diſperma.

8. TRIFOLIUM corollis polypetalis, ſcapis axillaribus, ſiliquis tetraſpermis, caule repente.

Trifolium capitulis umbellaribus, leguminibus tetraſpermis, caule procumbente. LINN. Spec. plant. p. 767.

Trifolium caule procumbente, & florigeris & folioſis petiolis prælongis. HALL. Helv. p. 581.

Trifolium capitulis ſubrotundis, floſculis pedunculatis, leguminibus tetraſpermis, caule procumbente. LINN. H. Cliff. p. 375. Fl. Svec. 612. Mat. Med. 354. ROYEN. Lugdb. p. 378. DALIB. Paris. p. 224.

Trifolium repens. RIVIN. tetrap. Tab. 13. LINN. Fl. Lapp. p. 274. KRAM. meth. p. 60.

Habitat in pratis, & ad vias, paſſim.

Caulis repens, teres. Folia ovata. Scapi canaliculati. Capitulum ſubrotundum. Flores, albi erecti, dein penduli. Calyx pedunculi longitudine, dentibus inæqualibus. Siliqua calyce duplo longior, tetra-& pentaſperma, ſubarticulata.

Uſus: Arthritis. LINN. *Mat. Med. l. c.*

9. TRIFOLIUM corollis polypetalis, racemis lateralibus, ſiliquis monoſpermis rugoſis.

Melilotus ſiliquis turgidis, brevibus, obſcure transverſim rugoſis HALL. Helv. p. 587.

Trifolium leguminibus racemoſis nudis diſpermis, caule erecto. LINN H. Cliff. p 316. H. Upſal. p. 223. Fl. Svec. 619. Mat. Med. 355. Spec. plant. p. 765. ROYEN. Lugdb. p. 381. DALIB. Paris. p. 225. BOEHM. Lipſ. 314.

Carniol. *Dovga detela.*

Caulis ſtriatus, erectus, glaber, altior ſociis. Folia dentata, ſubariſtata, inferne villoſa. Scapi ſulcati, axil-

axillares. Flores racemosi, heteromali, penduli, flavi & albi. Pedunculi purpurei, calycis longitudine. Calycini dentes æquales. Vexillum ovatum. Siliqua subrotunda, monosperma, nigricans, transversis rugis aspera.

Indago plantæ sensibus nostris & analysi chemica instituta docet, magnam in emmolliendo, majorem vero resolvendi potentiam eidem inesse. In omnibus itaque tumoribus inflammatoriis, qui in suppurationem tendunt, utiliter adhibetur. Ad deliganda quoque vulnera, quæ vesicatoria fecerunt, opportunissime imponitur. HALL. *loc. cit.*

MEDICAGO.

LINN. *Gen. plant.* 805.

Essentia consistit in carina hiante, a vexillo deflexa; legumine compresso, contorto. LINN. *Syst. Nat.*

1. MEDICAGO spicis axillaribus ovatis, siliquis monospermis rugosis.

Medicago spicis ovalibus, leguminibus reniformibus monospermis, caule procumbente. LINN. Fl. Svec. 621. DALIB. Paris. p. 281.

Medica floribus racemosis, siliqua reniformi, monosperma. HALL. Helv. p. 579.

Meliotus minima. RIVIN. tetrap. Tab. 8.

Habitat in cultis.

Caulis procumbens, angulatus. Bracteæ serratæ, simplices. Folia serrulata, subtus villosiora. Spicæ subgloboſæ. Pedunculi & calyces villosi. Alæ carinæ æquales. Stamina sex. Siliqua nigra, monosperma, rugosa, semel intorta, villis subulatis & capitatis adspersa.

2. MEDICAGO racemis axillaribus, siliquis polyspermis falcatis compressis.

Medicago pedunculis racemosis, leguminibus lunatis, caule prostrato Linn. Fl. Svec. 620. Spec. plant. p. 779. Dalib. Paris. p. 229. Boehm. Lipſ. 349.

Medica caule procumbente, siliqua semel inflexa, floribus racemosis. Hall. Helv. p. 579.

Medicago pedunculis laxe spicatis, leguminibus contortis, caule erecto glabro. Linn. H. Cliff. p. 377. Royen. Lugdb. p. 381.

Habitat in pratis frequens.

Caulis sponte procumbens. Folia oblonga, emarginata, apicibus dilatata, denticulo ex emarginatura prodeunte notata. Pedunculi calyce longiores. Vexillum fere planum, carina alis brevior & obtusa. Siliqua compressa, semilunaris. Semina usque septem, acuta facie suturæ affixa.

ONONIS.

Linn. *Gen. plant.* 772.

Vexillum cordatum, alis longius Tournef. Tab. 229. A. Siliqua turgida, hirsuta D. F. E. Semina reniformia.

1. Ononis floribus solitariis lateralibus, spinis rameis terminalibus foliosis.

Ononis floribus racemosis geminatis, foliis ternatis, ramis spinosis. Linn. Spec. plant. p. 716.

Anonis floribus pene sessilibus, vaginis foliorum amplissimis, ramo quolibet in spinam terminato. Hall. Helv. p. 589.

Habitat in pascuis siccis & sterilibus; diciturque *Gladesch.*

Caules nudi, inermes, teretes, ramosi. Rami spinosi. Folia sub spinis ternata, in spina & sub floribus simplicia. Racemus inermis, terminalis, constans floribus solitariis, breviter pedunculatis. Calyx folio

conco-

concolor, villis albis capitatis & ſimplicibus pubeſcens; dentibus binis ſuperioribus brevioribus. Petala purpurea; carina ſuperne villis brevibus capitatis adſperſa, ſubtus lineata, ſubrotunda, integerrima; alis pallidioribus, carina brevioribus. Germen villoſum.

Radicem diureticam eſſe, experimenta practica, chemica principia, & Clariſſimorum Virorum evincit auctoritas. Dubitat tamen LINNÆVS eamque potius emmenagogam eſſe, & peculiari virtute adverſus Hungaricam febrim valere docuit in *Mat. Med.* 357.

CYTISUS.

TOURNEF. *Inſt. p.* 647. *Tab.* 416.

Ab *Ononide* differt imprimis vexillo & ſiliqua in origine anguſtiore, tum calyce bilabiato; dentibus breviſſimis duobus vel tribus. HALL. *Helv.* p. 591. pluribusve LINN. LUDWIG.

1. CYTISUS racemis ſimplicibus pendulis, foliolis ovato-oblongis. LINN. *H. Cliff.* p. 354. *H. Upſal.* p. 210. *Spec. plant.* p. 739. ROYEN. *Lugdb.* p. 369. HALL. *Helv.* p. 591.

Habitat circa *Idriam. Lok, Krainburg.*

Folia ternata, ovata, integra, oris villoſis. Racemi terminales, ſpithamæi, nudi, penduli Flores flavi. Calyx e lata baſi in cylindrum extenſus, bifidus, villoſus. Pedunculi imi flore longiores, patuli. Corollæ vexillum erectum; alæ oblongæ, carina nihilo breviores. Stamen liberum nullum. Siliqua dilatata.

2. CYTISUS pedunculis ſimplicibus lateralibus, calycibus hirſutis trifidis obtuſis ventricoſo-oblongis. LINN. *H. Upſal.* p. 211. *Spec. plant.* p. 739.

Cytiſus calycibus hirſutis ſeſſilibus, pedunculis ſimplicibus breviſſimis. LINN. H. Cliff. p. 355. ROYEN. Lugdb. p. 370.

Habitat in ſterilibus apricis.

Caulis ſemiprocumbens, frutticoſus. Folia ovata, hirſuta, ſpinula terminata, petiolis compreſſis. Flores laterales, binati, ternatique, brevibus pedunculis. Calyx hirſutus, oblongus, trifidus. Corolla flava; vexilli margine rugoſo. Stamen liberum nullum. Siliqua uncialis.

GENISTA.

LINN. *Gen. plant.* 766.

Calyx obſcure bilabiatus; labio ſuperiore bidentato, breviore. Corollæ vexillum reflexum, carina brevius. Siliqua turgidiuſcula. Semina reniformia.

1. GENISTA foliis lanceolatis, ramis ſtriatis teretibus. LINN. *H. Cliff.* p. 355. *Fl. Svec.* 587. *Mat. Med.* 346. erectis. *Spec. plant.* p. 710.

Geniſta foliis confertis, ovalibus, acutis, floribus ſeſſilibus, ſpicatis. HALL. Helv. p. 592. BOBHM. Lipſ. 323.

Geniſtella. RIVIN. tetrap. Tab. 67.

Habitat loca ſterilia, ſæpius inculta.

Caules antiqui, proſtrati, nudi, novos emittunt erectos, ſtriatos, ſupra medium ramoſos. Flores ſpicati, ſolitarii ex alis. Folia breviter petiolata, marginibus ſubhirſutis. Calyx quinquefidus, glaber, pedunculo longior. Corolla flava; alis demum patulis, reflexis. Stamina octo; quatuor majora, totidem minora; antherarum poline ſubcarneo. Involucrum germinis, poſt effuſum pollen antherarum ſeſe una cum ſtylo intra vaginam recondit. Siliqua compreſſa, glabra.

Hydropicis mederi docent experimenta plurima, & Sambucci odor fœtidus in chemica analyſi; ſed ſi viſcera læſa fuerint, mortem accelerat.

2. GENISTA ramis ancipitibus articulatis, foliis ovato lanceolatis. LINN. *Spec. plant.* p. 710.

Geniſta

Geniſta foliorum parte prima cauli adnata, elliptica, altera patente, lanceolata. HALL Helv. p. 593.

Geniſta ramis trianguli-ancipitibus, petiolis decurrentibus, foliis ovato-lanceolatis. LINN. H. Cliff. p. 355. ROYEN. Lugdb. p. 371.

Habitat loca paulo cultiora.

Caules proſtrati, nudi, articulati, enſiformes, aridi, emittunt annuos, triquetros, erectos, ſimplices. Spica denſa, nuda, terminalis. Calyx quinquefidus; dente imo medio lineari; bractea lineari; pedunculo breviſſimo. Corolla flava; vexillo cordato; carina dipetala, glabra; alæ non auriculatæ. Stamina octo.

3. GENISTA ſpinis compoſitis, ramis floriferis inermibus, foliis lanceolatis. LINN. *Spec. plant.* p. 710.

Geniſta foliis ovato-lanceolatis, ſpinis in ramis ſeneſcentibus, ramoſis. HALL. Helv. p. 593.

Geniſta caule nudo, ſpinis ramoſis, caulinis, ramis floriferis inermibus, foliis lanceolatis. ROYEN. Lugdb. p. 371.

Geniſtella ſpinoſa. RIVIN. tetrap. Tab. 67.

Geniſta ſpartium minus Germanicum. TOURNEF. Inſt. p. 645. ZANICHELL. Ven. p. 108. Tab. 92. SEGUIER. Veron. 2. p. 317.

Habitat ſicca & aſpera loca.

Caulis frutticoſus, ſpinoſus diffuſus. Rami erecti, inermes. Folia hirſutula. Flores patuli. Calyx quinquefidus. Vexillum integerrimum, reflexum; cum proprio pede angulum rectum efficiens. Alæ carina villoſa fere duplo longiores. Stamen liberum nullum.

4. GENISTA ſpinis rameis compoſitis mollibus, foliis lanceolato-linearibus.

Habitat in rupibus *Montis Anas.*

Caules inermes, ſuberecti, nudi. Rami annotini, erecti, ſubhirſuti, angulati, ramoſi; ramulis non flori-

feris ſpinoſis: ſpinis compoſitis, teneris. Flores ſubſpicati, flavi; pedunculis calyce brevioribus. Calycis denticuli lineares, glabri; infimo longiore. Corollæ vexillum erectum; alæ incurvæ; carina obtuſa, bifida, vexillo longior.

5. Genista inermis frutticoſa procumbens, ramis angulatis, foliis lanceolato-linearibus.

Habitat cum priore.

Caules nodoſi, terrei, glabri, teretes. Rami primi angulis albis inſtructi. Rami ultimi adſcendentes, villoſi, ſubangulati. Flores bini, in apicibus ramulorum, ſolitarii, erecti; pedunculis & calycibus hirſutis. Calyx bilabiatus. Corollæ vexillum ovatum, integerrimum; alæ rectæ; carina villoſa, recta.

SPARTIUM.

Linn. *Gen. plant.* p. 765.

Differt a *Geniſta* calyce evidenter labiato, filamentis intra carinam occultatis, an ſatis?

1. Spartium foliis ternatis ſolitariisque, ramis inermibus angulatis. Linn. *H. Cliff.* p. 356. *Fl. Svec.* 589. *Spec. plant.* p. 709. Royen. *Lugdb.* p. 370.

Habitat in *M. Planina* aliisque ei proximis circa *Idriam*.

Caulis erectus, frutticoſus. Rami ſulcati. Ramuli ſtriati, denuo ramoſi. Folia ternata, linearia, hirſuta, e ſquamma bracteiformi nata. Calyx ventricoſus, hirſutus; labio inferiore tridentato. Stamina octo, libero nullo. Siliqua hirſuta, triſperma.

Ex legibus methodi naturalis *Spartium* a *Geniſta* ſeparari non poteſt.

HIPPOCREPIS.

Linn. *Gen. plant.* 791.

Siliqua compreſſa, altera ſutura pluries emarginata, curva. Linn. *Syſt. Nat.*

1. Hip-

1. HIPPOCREPIS siliquis umbellatis: margine exteriore lobatis.

Hippocrepis siliquis umbellatis, utrinque emarginatis. HALL. Helv. p. 573.

Hippocrepis leguminibus pedunculatis confertis: margine exteriore repandis. ROYEN. Lugdb. p. 232. DALIB. Paris. p. 232. LINN. Spec. plant. p. 744.

Hippocrepis leguminibus pedunculatis confertis: margine exteriore lobatis. LINN. H. Cliff. p. 364.

Habitat in herbidis collibus.

Caulis procumbens, ramosus. Foliorum paria quinque. Scapi nudi, sulcati. Flores umbellati, reflexi; involucro reflexo, dentato. Calyx pedunculo longior, regularis, glaber. Corollæ vexillum ovatum, a reliquis petalis remotum; tuberculo mellifero ad basim præditum. Stamina decem; antheris aristatis. Siliqua inflexa, glabra, folio longior, interiore latere foveolis hemisphæricis excavata, exteriore lobata.

LOTUS.

LINN. *Gen. plant.* p. 803.

Differt a *Trifolio* corolla decidua, siliqua longiore LINN., binis foliolis ad originem petioli TOURNEF., uno terminali, floribus subjecto HALL.

1. LOTUS capitulis depressis, caulibus decumbentibus, leguminibus cylindricis. LINN. *Spec. plant.* p. 775.

Lotus floribus umbellatis, siliquis pendulis, caule procumbente. HALL. Helv. p. 572.

Lotus caule herbaceo, florum capitulo depresso, leguminibus decumbentibus. LINN. H. Cliff. p. 372. Fl. Svec. 609. ROYEN. Lugdb. p. 388. DALIB. Paris. p. 221. BOEHM. Lipf. 343.

Habitat in pratis & hortis.

Caules anguloso-sulcati. Scapi laterales, longi. Capitulum folio ternato abracteato exceptum. Bracteæ cordatæ. Flores umbellati. Calycini dentes ciliati, æque dissiti. Vexillum subrotundum, sex lineis rubris ad basim pictum, postice ante explicationem rubrum. Siliqua longa, recta, teres.

2. Lotus capitulis aphyllis, foliis sessilibus quinatis. Linn. *Spec. plant.* p. 776.

Dorycnium foliis quinatis. Hall. Helv. p. 570.

Dorycnium foliis digitatis sessilibus. Linn. H. Cliff. p. 371. Royen. Lugdb. p. 389.

Habitat circa *Vipaccum* & *S. Vitum.*

Folia sericeo villo pubescentia, apicibus dilatatis. Corolla alba; carinæ apice violaceo. Calyx regularis, villosus. Vexillum acutum; auriculæ subrotundæ. Filamenta ramosa, plerumque sena. Siliqua ovata, mono-aut disperma, calyce duplo longior. Semen hinc obtusum, inde acuminatum.

Ex iis legibus *Dorycnium Lotis* adjunctum est, quibus ex *Hedysaro*, *Coronilla* & *Hippocrepide* unum Genus constrúi potest.

CORONILLA.

Linn. *Gen. plant.* 789.

Calycis bilabiati dentes duo superiores longiores & connati essentiam constituunt Linn. *Syst. Nat.* Adde siliquam longam, strictam, inter singula semina non sphærica plus aut minus contractam.

1. Coronilla fruticosa, corollarum unguibus calycye duplo longioribus. Royen. *Lugdb.* p. 387. Linn. *Fl. Suec.* 590. *Spec. plant.* p. 742.

Coronilla frutescens, siliquis longissimis, obscurius articulatis. Hall. Helv. p. 575.

Habitat in *M. Anas.*

Pinnæ

Pinnæ ſubovatæ, emarginatæ, apice dilatatæ, ſubtus pallidiores, paribus tribus cum impare. Flores umbellati in ſcapis ſtriatis. Flores ſex & ſeptem flavi, petalorum unguibus calyce duplo longioribus. Siliqua folio longior, articulata. Semina oblonga.

2. CORONILLA herbacea, leguminibus falcato-gladiatis. LINN. *H. Cliff.* p. 363. *H. Upſal.* p. 234. ROYEN. *Lugdb.* p. 386.

Reperi circa *Idriam*, in ſterilibus.

Radix perennis. Foliatio *Orobi* TOURNEFORT, quatuor pinnarum paribus. Corolla flava. Flores racemoſi. Calyx, Flos & Fructus *Coronillæ*, non tamen articulatus, neque teres, ſed compreſſus & folio longior.

OROBUS.

TOURNEF. *Inſt.* p. 393. *Tab.* 214.

Calyx baſi obtuſa; dentibus binis ſuperioribus brevioribus, profundioribus, ad ſe invicem accedentibus. Vexillum cordatum. Siliqua teres, longa. Verum hæc omnia etiam Viciis quibusdam propria ſunt, exceptis foliis, quæ in Orobo absque impare ſunt, coſta in mucronem deſinente.

1. OROBUS foliis pinnatis ovatis, ſtipulis ſemiſagittatis integerrimis, caule ſimplici. LINN. *Spec. plant.* p. 728.

Orobus caule ſimpliciſſimo, foliis pluribus ovatis acutis. LINN. H. Cliff. p. 366. Fl. Svec. 595. ROYEN. Lugdb. p. 396. HALL. Helv. p. 602.

Habitat inter Corylos ad montium radices, verno tempore.

Caulis teres. Stipulæ ſemihaſtatæ, integerrimæ. Foliorum paria ſex; eaque ovato-lanceolata, nitida, ſeſſilia, glabra, trinervia. Scapus ſulcatus, coſta folii longior. Racemus unilateralis. Calyx baſi virens, ali-

bi ſubruber. Vexillum corollæ rubro cæruleum; alæ cæruleæ, auriculis carnoſis. Antheræ flavæ.

2. Orobus foliis pinnatis lanceolatis, ſtipulis ſemiſagittatis integerrimis, caule ſimplici. Linn. *Spec. plant.* p. 728.

Orobus caule non ramoſo, foliis imis ovatis, ſupernis ellipticis, acutis. Hall. Helv. p. 603.

Orobus caule ſimpliciſſimo, foliolis pluribus lanceolatis integris. Linn. H. Cliff. p. 366. Fl. Svec. 596. Royen. Lugdb. p. 366.

Habitat in ſylvis circa *Voiska*.

Caulis alatus. Pinnarum paria tria, eæque ſeſſiles, lanceolatæ. Stipulæ ſemiſagittatæ, integræ. Racemi bi-& triflori, coſta ſubtriquetra. Flores rubri. Calyx cæruleſcens; dentibus inferioribus æqualibus. Siliqua rubra.

VICIA.

Linn. *Gen. plant.* 782.

Differt ab *Orobo*, ſtigmate inferne barbato Linn., coſta folii in cyrrhum deſinente Tournefort.

1. Vicia axillis ſubbifloris, floribus ſubſeſſilibus erectis, calycibus ſemiquinquefidis: ſegmentis linearibus.

Vicia leguminibus ſeſſilibus ſubbinatis erectis, foliis retuſis, ſtipulis notatis. Linn. Spec. plant. p. 736.

Vicia ſiliquis ſeſſilibus erectis, foliis imis ovatis, ſuperioribus linearibus. Hall. Helv. p. 598. Boehm. Lipſ. 330.

Vicia leguminibus erectis, petiolis polyphyllis, foliolis acumine emarginatis, ſtipulis dentatis. Linn. H. Cliff. p. 368. Fl. Svec. 601. Royen. Lugdb. p. 365.

Habitat inter ſegetes, *Grashiza*, *Grahoz* dicta.

Axillæ

Axillæ ſæpius biflorae. Flores magni, breviſſime pedunculati, erecti. Calyx virens, villoſus, in longos æquales dentes ad medium uſque diviſus. Vexillum lividum. Alæ rubræ.

2. VICIA axillis ſubquadrifloris, floribus erectis pedunculatis, foliis ovatis, ſtipulis dentatis.

Vicia ſiliquis erectis, foliis ex ovatis, obtuſe decreſcentibus. HALL. Helv. p. 599. BOEHM. Lipſ. 331.

Vicia leguminibus pedicellatis ſubquaternis erectis, foliolis ovatis integerrimis: exterioribus decreſcentibus. LINN. Spec. plant. p. 737.

Vicia leguminibus adſcendentibus, petiolis polyphyllis, foliolis ovatis acutis integerrimis. LINN. H. Cliff. p. 362. Fl. Svec. 602. ROYEN. Lugdb. p. 365. DALIB. Paris. p. 219.

Habitat ad ſepem, paſſim.

Bracteæ imæ ſerratæ, virides, ſupremæ integerrimæ & quaſi deuſtæ. Folia ſpiculo deflexo in apice decreſcente notata. Calyx coloratus, ut in ſpecie 3. Vexilli ſemidiameter calycis longitudinem adæquat. Carinæ apex macula laterali cærulea utrinque pictus. Stigma villis verticillatis coronatum. Siliqua erecta, compreſſa, glabra.

3. VICIA racemis folio brevioribus, floribus imbricatis pendulis, foliolis lanceolatis utrinque villoſis.

Vicia pedunculis multifloris, floribus imbricatis, foliolis lanceolatis pubeſcentibus: ſtipulis integris. LINN. Spec. plant. p. 735.

Vicia foliis linearibus hirſutis, ſiliquis ſubhirſutis, racematim pendulis. HALL. Helv. p. 600.

Habitat circa agros, non rara.

Caulis adſcendens, villoſus. Folia diſtica. Pinnarum paria 12. pinnæ ipſæ villoſæ, lanceolatæ, brevi ſpinula terminatæ. Bracteæ hirſutæ, integræ. Racemi

cemi rachi breviores, 9-& 10. flori. Calyx glaber, ruber.

4. VICIA racemis folio longioribus, floribus imbricatis secundis pendulis, foliolis lanceolatis, superne villosis.

Vicia siliquis hirsutis, pendulis, dispermis. HALL. Helv. p. 601. BOEHM. Lipſ. 334.

Ervum pedunculis multifloris, seminibus globosis binis. LINN. Spec. plant. p. 738.

Cicer pedunculis multifloris, seminibus globosis. LINN. H. Cliff. p. 370. Fl. Svec. 607. ROYEN. Lugdb. p. 389. DALIB. Paris. p. 228.

Habitat inter segetes.

Folia in spinulam rubram, erectam, desinentia; pinnarum paribus 7-8. Racemi folio longiores, heteromalli, ad 20. Vexilli basis dente utrinque notata.

LATHYRUS.

LINN. *Gen. plant.* 781.

Differt a *Vicia* aliisque, stylo plano LINN. LUDWIG. stigmate villoso TOURNEFORT.

1. LATHYRUS pedunculis multifloris, cirrhis diphyllis, foliolis lanceolatis: cirrhis simplicissimis. LINN. *H. Cliff.* p. 367. *Fl. Svec.* 599. *Spec. plant.* p. 733. ROYEN. *Lugdb.* p. 364. DALIB. *Paris.* p. 217.

Lathyrus foliis binatis, acutis, capreolo non ramoso. HALL. Helv. p. 597. BOEHM. Lipſ. 337.

Lathyrus pratensis. RIVIN. tetrap. Tab. 43.

Habitat in udis & umbrosis.

Alæ a carina absque laceratione vix separabiles. Cirrhus simplex.

2. LATHYRUS pedunculis multifloris, cirrhis diphyllis, foliolis lanceolatis, internodiis membranaceis. LINN. *H. Cliff.* p. 367. *H. Upsal.* p. 217. *Fl. Svec.* 1139. *Spec. plant.* p. 733.

Lathy-

Lathyrus foliis binatis, ovatis, floribus racemosis. HALL. Helv. p. 596. BOEHM. Lipſ. 338.

Habitat in ſiccis apricis.

Folia lanceolata, trinervia. Cirrhus pinnato-ramoſus, racemo brevior. Alæ caulinæ denticulatæ. Bracteolæ ſetaceæ ſub pedunculis calyce longioribus. Vexillum purpureum. Alæ violaceæ. Carina ſubvirens. Siliqua longa.

II. *Siliqua biloculari.*

ASTRAGALUS.

LINN. *Spec. plant.* p. 799.

Flos ſtrictus HALL. Calyx tubuloſus. Vexillum alis & carina longius; lateribus reflexis. Siliqua biloculari.

1. ASTRAGALUS cauleſcens proſtratus, leguminibus ſubtriquetris arcuatis, foliis ovalis pedunculo longioribus. LINN. *Spec. plant.* p. 758.

Aſtragalus caule ex alis ſpicato, ramoſo, procumbente, foliis ovalibus. HALL. Helv. p. 565.

Aſtragalus leguminibus lunatis biventricoſis, caulibus procumbentibus. LINN. H. Cliff. p. 362. Fl. Svec. 591. ROYEN. Lugdb. p. 392.

Habitat in incultis aſperis.

Caulis teres, glaber, repens. Bracteæ erectæ, lanceolatæ. Folia deflexa, elliptica, paribus 5-6. Racemi folio breviores. Flores albo-lutei, carinæ apice ad dorſum rubro; pedunculis calyce brevioribus, foliolo ſetaceo ſuſtentatis. Calycini dentes exigui. Carinæ baſis dente utrinque notata. Antheræ croceæ. Stamina octo, nonum liberum. Siliqua transverſim ſecta cordis figuram exhibet. Semina reniformia.

CLAS-

CLASSIS XXX.

ANOMALÆ.

TOURNEFORT. Unicapsul.

Calyx sæpius polyphyllus. Corolla polypetala, quasi papilionacea. Antheræ nunquam pauciores quam sunt petala. Capsula unilocularis in plerisque.

POLYGALA.

LINN. *Gen. plant.* 761.

Calyx quinquefolius, irregularis, persistens; foliolis majoribus coloratis, foventibus capsulam bilocularem, compressam. Stamina octo connata.

1. POLYGALA floribus cristatis racemosis, caulibus herbaceis simplicibus procumbentibus, foliis linearilanceolatis. LINN. *Amœnit. acad.* p. 136. *Spec. plant.* p. 702.

Polygala foliis omnibus acutis & imis subrotundis, superioribus angustis. HALL. Helv. p. 606. BOEHM. Lipsi. 253.

Polygala foliis linearibus-lanceolatis, caulibus diffusis herbaceis. LINN. Virid. Cliff. p. 70. H. Cliff. p. 352. Fl. Svec. 586. ROYEN. Lugdb. p. 393.

Polygala latifolia humilior, spicis brevioribus, dilute purpurascentibus. ZANICHELL. Ven. p. 214. Icon. 38.

Polygala Buxi minoris folio, flore cæruleo. VAILLANT. Paris. Tab. 32. fig. 1. 2. 3.

Habitat in collibus herbis, apricis.

Pedunculi rubri, corollis breviores. Calycina folia majora alis similia, demum virescentia. Cristæ laciniæ utrinque octo, obtusæ, serrulatæ, non raro bifidæ. Vaginæ margo villosus; villis inflexis. Stigma bilabiatum; labio superiore subtrifido; inferiore simplici,

plici, reflexo. Capsula Thlaspidea; loculis monospermis. Semen hirsutum, nigricans.

2. POLYGALA floribus imberbibus sparsis: carina apice subrotundo, caule fruticoso, foliis lanceolatis. LINN. *Amœn. academ.* p. 140. *Spec. plant.* p. 704.

Polygaloides. HALL. Helv. p. 607.

Polygala fruticosa, Buxi folio, flore flavescente, vex ex purpureo-rubente. TOURNEF. Inst. p. 175.

Habitat in asperis, siccis, & meridionalibus collibus.

Caulis frutescens, semiprocumbens. Folia alterna, subsessilia, perennia. Pedunculi laterales uniflori & biflori. Calyx triphyllus; supremo folio solitario, postice gibbo, tegente germen.

Varietates hujus plantæ in Carniola frequentior sunt 1. *Flos ruber*, petalis aleformibus, folio calycino supremo, & petali tertia parte, homogeneo rubro colore donata; calycino folio inferiore & bractea pallidiore; crista rugis quinque prædita. 2. *Flos albus* ubique, sed calycis folia duo inferiora cum bractea albo viridi colore tincta sunt. Rugæ in crista quatuor. Stigma corollæ concolor. 3. *Flos albo-ruber*, cui alæ rubræ, idemque color tertiam partem petali tertii tingit; rugæ in crista quinque. 4. *Flos albo-luteus*, alba omnia possidet, sed rostrum flavescit, & rugas sex in crista gerit.

FUMARIA.

LINN. *Gen. Plant.* 760.

Omnes partes fructificationis in hoc Genere variant, solaque stamina constanter fiunt filamentis duobus, trifidis, triantheris LINN. LUDWIG. qualia in *Tab.* TOURNEF. 237. L. K. accuratissimus Pictor delineavit.

1. Fu-

1. FUMARIA caule ſimplici, bracteis longitudine florum. LINN. *Spec. plant.* p. 699.

Fumaria caule ſimplici, radice bulboſa. HALL. Helv. p. 604. 605.

Fumaria caule ſimplici, bracteis integris. BOEHM. Lipſ. 312. 313.

Fumaria caule ſimpliciſſimo diphyllo, floribus calyce deſtitutis. LINN. H. Cliff. p. 351. Fl. Svec. 585. Mat. Med. 344. ROYEN. Lugdb. p. 394.

Habitat in cultis, verno tempore.

Flores patuli. Bracteæ primæ in folia non raro mutatæ. Pedunculus cornu carina brevior. Stigma luteum. Siliquæ heteromalæ; valvis ab imo ſurſum abſcedentibus; loculis pentaſpermis. Semina rugoſa, nitida, compreſſo-ſphærica.

Pulvis radicis ulceribus inſperſus, fatuam (ut vocant) carnem lente abſummit, acris eſt ergo neque emmenagogis tam facile adjungendus.

2. FUMARIA pericarpiis monoſpermis racamoſis, caule diffuſo. LINN. *Spec. plant.* p. 700.

Fumaria pericarpiis monoſpermis. LINN. H. Cliff. p. 252. Fl. Svec. 584. Mat. Med. 343. ROYEN. Lugdb. p. 394. HALL. Helv. p. 605. BOEHM. Lipſ. 311.

Habitat in cultis.

Calyx bifolius, corollæ concolor, bracteæ longitudine. Antheræ globulo terminatæ. Silicula monoſperma.

Viribus Medicis convenit cum ſoncho & adfinibus Cichoreaceis. Succus inſpiſſatus Criſtallos dat octaedras, igne frementes, nitroſæ indolis. Odor nullus. Succi magna copia, amari ſaporis, & ſaponacei, ad oris, partium internarum, & cutis ulcera detergenda aptiſſimi. Nihil ergo volatile & impetum faciens Fumaria continet, quin potius refrigerat utilis idcirca & adeo expetita in aere Italo æſtuoſo & ſicciore.

IMPA-

IMPATIENS.

LINN. *Gen. plant.* 899.

Calyx deciduus. Stamina quinque. Capsula unilocularis in quinque valvas ellastice disiliens, effundens semina subrotunda, receptaculo columnari affixa.

1. IMPATIENS pedunculis multifloris, foliis ovatis, geniculis caulinis tumentibus. LINN. *Fl. Svec.* 722. *Spec. plant.* p. 938.

Balsamina capsula oblonga, tenui. BOEHM. Lipſ. 310.

Impatiens pedunculis solitariis multifloris. LINN. H. Cliff. p. 428. ROYEN. Lugdb. p. 431. HALL. Helv. p. 505.

Habitat in ruderatis, hortis, udisque sylvarum locis.

Foliorum crenæ spinula herbacea terminatæ. Pedunculi petiolo longiores, ramosi, nudi, tenues. Calyx triphyllus, albicans. Flos pendulus, tetrapetalos, luteus; petalo supremo subrotundo, sustinente unum folium calycinum, concavo, minore; lateralibus majoribus, alas floris papilionacei referentibus, auriculatis ad basim & maculosis; quartum petalum posticum est, convergens in cornu curvum, subulatum, acutum, maculis rubris interne notatum, folia reliqua calycina gerens. Antheræ subcordatæ basi rotundæ impositæ, polline albo. Silicula uncialis, striata; receptaculo lingulato, subtriquetro; angulis crispis. Semina subtriticea.

VIOLA.

TOURNEF. *Inst. p.* 419. *Tab.* 236.

Calyx quinquefidus D. E. foliolis supra basim cohærentibus. Corolla pentapetala, cornu nectarifero

postice instructa A. B. C. Stamina quinque; Antherarum apicibus membranaceis. Capsula trivalvis. F. G.

1. VIOLA pedunculis radicalibus, foliis cordatis, stolonibus reptantibus.

Viola foliis cordatis, stolonibus reptantibus. LINN. Spec. plant. p. 954.

Viola acaulis, stolonibus teretibus reptantibus. LINN. H. Cliff. p. 427. Fl. Svec. 715. Mat. Med. 410. ROYEN. Lugdb. p. 431. HALL. Helv. p. 500. DALIB. Paris. p. 268.

Habitat circa hortos, ad vias, & in pratis, passim verno tempore.

Stolones non adsunt semper. Pedunculi folio longiores sunt. Antheræ foliacea crocea lingula terminatæ. Stylus uncinatus, subventricosus.

Flores & syrupus ex his confectus in Tussi & raucedine convenit, idem mixtus cum alcalinis liquoribus viridem colorem induit, utilis idcirca ad salium, & mineralium aquarum naturam examinandam.

2. VIOLA pedunculis caulinis, stipulis ciliatis, foliis cordatis.

Viola caule demum adscendente, foliis oblongo cordatis. LINN. Spec. plant. p. 935.

Viola caulibus adscendentibus floriferis, foliis cordatis. LINN. H. Cliff. p. 427. Fl. Svec. 716. ROYEN. Lugdb. p. 430. HALL. Helv. p. 501. DALIB. Paris. p. 269.

Habitat in sylvis.

Stipulæ ciliatæ, lanceolatæ, simplices. Scapi axillares, teretes. Antheræ pallidæ. Semina in una cohorte non ultra octo.

3. VIOLA pedunculis caulinis triquetris, stipulis laciniatis, foliis oblongis crenatis.

Viola caule triquetro diffuso, foliis oblongis incisis, stipulis dentatis. LINN. Spec. plant. p. 935.

Viola

Viola caule procumbente, foliis sub ramis laciniatis, flore parvo, bicolore. Hall. Helv. p. 504. Boehm. Lipſ. 452.

Viola pedunculis caulinis angulatis, ſtipulis oblongis pinnato-dentatis, foliis ovato-oblongis crenatis. Linn. H. Cliff. p. 527.

Habitat in cultis.

Folia ima cordata, ſubrotunda; reliqua oblonga, crenata. Bracteæ amplexicaules laciniatæ, folioſæ.

4. Viola pedunculis caulinis, ſtipulis lanceolatis, foliis reniformibus.

Viola caule biflore, foliis reniformibus ſerratis. Linn. Spec. plant. p. 936.

Viola foliis reniformibus, caulibus folioſis floriferis. Hall. Helv. p. 502.

Viola foliis reniformibus, pedunculis caulinis. Linn. Fl. Lapp. p. 276. H. Cliff. p. 427. Fl. Svec. 720. Royen. Lugdb. p. 431.

Habitat in locis ſylvarum udis & umbroſis.

Caulis erectus, ſemiteres. Folia ſuperne ſubvilloſa, radicalia bina. Bracteæ glabræ, ſimplices. Corolla flava. Calycis foliola lanceolata.

RESEDA.

Linn. *Gen. plant.* 535.

Calyx monophyllus, varie partitus. Petala inæqualia, partita; uno ad baſim nectarifero. Stamina duplo certe plura quam ſunt petala. Stylorum numerus idem qui angulorum capſulæ unilocularis, inter ſtylos dehiſcentis. Semina reniformia, angulis affixa.

1. Reseda foliis omnibus trifidis, inferioribus pinnatifidis. Linn. H. Cliff. p. 213. H. Upſal. p. 149.

Spec. plant. p. 449. Royen. Lugdb. p. 483. Hall. Helv. p. 315. Dalib. Paris. p. 159.

Habitat ſecus vias circa *Vipaccum*.

Calycis ſegmenta ſena, linearia; ſupremo minore. Petala quatuor, alba, e baſi orbiculata lingulas una cum ſetis educentia. Stamina infra petala prodeuntia ad 20. Capſula ſcabra. Semina in uno angulo plerumque decem, compreſſa, ſubovata.

CLASSIS XXXI.
MULTISILIQUÆ.

Calyx plerumque nullus, aut deciduus. Corolla polypetala; petalis æqualibus Ray *multiſiliquæ* II. *meth. emend.* p. 80. vel inæqualibus Tournef. *Claſſ.* XI. *Sect.* 2. Stamina ex receptaculo genita, petalorum numerum ſæpius ſuperantia. Fructus ex pluribus capſulis compoſitus. Folia minime ſucculenta. Ingenium acre.

DELPHINIUM.

Tournef. *Inſt. p.* 426. *Tab.* 241.

Calyx nullus. Petala quinque inæqualia A. B. ſupremo poſtice corniculato C. Nectarium bifidum E. corniculatum D. cornu ſubeunte petali calcar. Stamina triplo certe plura, quam ſunt petala. Styli tres.

1. Delphinium nectariis monophyllis, caule ſubdiviſo. *H. Cliff.* p. 217. *Fl. Suec.* 440. *Mat. Med.* 268. *Spec. plant.* p. 530. Royen. *Lugdb.* p. 482. Dalib. *Paris.* p. 158.

Delphinium nectario monophyllo. Boehm. Lipſ. 541.

Delphinium radice fibroſa, foliis tenuiſſime diviſis. Hall. Helv. p. 314.

Del-

Delphinium segetum flore cæruleo. TOURNEF. Inst. p. 426. BOERH. I. p. 302. SEGUIER. Veron. 2. p 118.

Habitat inter segetes, & in hortis; diciturque *Aidoska sele.*

Stamina 14. supra medium flexuosa, infra latiora; antheris luteo-virentibus, demum flavescentibus. Germen hirsutum. Siliqua una aut plures. Conjungit ergo *Anomalas nostras* cum *Multisiliquis.*

Syrupum florum *Consolidæ regalis* pro Violarum succedaneo proposuit LINNÆVS, an expertus? valde dubito; Repugnat enim nimia ejusdem cum *Aconitis* adfinitas; Vires diureticæ, pellentes, acriores in scriptis Botanicorum passim annotatæ; Auctoritas denique *Celeberr.* HALLERI.

ACONITUM.

TOURNEF. *Inst. p.* 424. *Tab.* 239. 240.

Calyx nullus. Petala quinque inæqualia. Nectaria duo D. pedunculata, fistulosa. Stamina ultra 20. Semina hinc acuta, inde latiora & obtusa.

1. ACONITUM foliis palmatis multifidis villosis. LINN. *Spec. plant.* p. 532.

Aconitum foliis peltatis multifidis, petalo supremo cylindraceo. LINN. Fl. Lapp. 211. H. Cliff. p. 213. Fl. Svec. 441. ROYEN. Lugdb. p. 482. HALL. Helv. p. 312.

Habitat in sylvis elatioribus, asperis, umbrosis & siccis.

Caulis anceps. Folia quinqueloba & triloba: lobis incisis, acutis, serratis. Racemi horizontaliter patentes. Flores ochroleuci, villosi, binis foliolis sub quolibet pedunculo. Galea apice dilatato; alæ subtus lanuginosæ, marginibus reflexis, superne calloso fornice convexæ. Nectariorum pedunculi compressi.

Capsulæ tres, transversim rugosæ, una sæpius abortiente. Semina aspera, cuneiformia.

2. ACONITUM foliorum laciniis linearibus, superne latioribus, linea exaratis. LINN. *H. Cliff.* p. 214. *Fl. Suec.* 442. ROYEN. *Lugdb.* p. 483. HALL. *Helv.* p. 312.

Habitat in altioribus sylvis & pascuis, circa rivos; *Shleni gloubuk* dictum Cerberi spumante saliva adspersæ plantæ parcunt avidi animalium dentes, quam tamen siccam & gramini immixtam inpune vorant. In spicam cæruleam pulcherrime ordinati flores alliciunt sæpe ignoros ut pileos & vestes ornent sibique capita immani sæpe dolore gravent. Manum sibi intumuisse, quæ hanc stirpem diu gestaverat, narrabat olim Verissimus & Experientissimus senex BAYERVS in Oenipontana Academia Professor Publicus; licet hanc vulgi persuasionem varissimam esse censeat Cl. HALLERVS. Decoctum radicis cymices enecat, pulvis vero muribus loco arsenici est, si butyro misceatur; & omnibus animalibus mortem infert inflammatis intestinis & fere corrosis. Antidotum veneni est oleum aut aqua tepida diu & copiosissime ingesta, emolliens, diluens, enervans acre. Fabulosa & vana sunt quæ de suo mure MATHIOLVS, & *Anthora* Napello proxima fabulantur Poetæ.

AQUILEGIA.

TOURNEF. *Inst.* p. 428. *Tab.* 242.

Calyx nullus. Petala quinque æqualia B. Nectaria totidem corniculata, petalis interjecta C. Stamina multa, in cohortes proprio canali instructas destributa. Siliquæ distinctæ.

1. AQUILEGIA nectariis incurvis. LINN. *H. Upsal.* p. 152. *Mat. Med.* 272. *Spec. plant.* p. 533.

Aquilegia foliis rotunde lobatis. HALL. Helv. p. 310.

Habi-

Habitat cærulea circa *Idriam*, violacea vero circa *S. Catterinam.*

Paleæ albæ, decem, acutæ, erectæ, marginibus reflexis & rugosis præditæ, germina protegunt, totidemque canales faciunt, quorum quilibet sex stamina continet adeo inæqualia, ut primum & exterius filamentum anthera duplo unice longius sit, quartum paleæ longitudinem habent, sextum vero & intimum germinum superet longitudinem.

Seminibus Aquilegiæ in Emulsione, aut ad semidrachmam quovis trihorio in pulvere datis, ad expellendas variolas, aliaque exanthemata familiariter utor, suadentibus Viris Celeberrimis HOFFMANNO, WERLHOFIO, aliisque.

DICTAMNUS.

LINN. *Gen. plant.* 468.

Calyx pentaphyllus, deciduus. Petala quinque, inæqualia, unguiculata. Stamina decem. Stylus unicus. Capsulæ quinque, margine introrsum coalitæ.

1. DICTAMNUS. LINN. *H. Cliff.* p. 161. *H. Upsal.* p. 102. *Mat. Med.* 208. *Spec. plant.* p. 383. ROYEN. *Lugdb.* p. 463.

Fraxinella. HALL. & aliorum ab eo citatorum.

Habitat circa *S. Vittum.*

Vires pellentes radicum *Dictamni* demonstrat oleum essentiale & tenue quo abundant GEOFFROY. *Mat. Med.* 3. art. 24. odor penetrabilis, & amarissimus sapor qui vermes & bufones ipsos necat, acres sunt ergo & impetum faciendo idoneæ, hinc in febribus continuis cautissime usurpandæ.

SPIRÆA.

LINN. *Spec. plant.* p. 554.

Calyx monophyllus, quinquefidus, perſiſtens. Petala quinque, calyci inſerta. Filamenta plura e calyce nata. Siliculæ monoſpermæ.

1. SPIRÆA foliis ſupradecompoſitis, ſpicis paniculatis, floribus dioicis. LINN. *Spec. plant.* p. 490. en Virum celeberrimum ſenſim ad Naturalia Genera redeuntem.

Filipendula ſexu diſtincta, foliis æqualibus. HALL. Helv. p. 306.

Aruncus. LINN. H. Cliff. p. 462. ROYEN. Lugdb. p. 278.

Ulmaria floribus in longas ſpicas digeſtis. BOERH. 1. p. 295.

Drymopogon. RUP. p. 99.

Carniol. *Koſia brada.*

Habitat ad ſepes, & umbroſis aſperiſque in locis. *Mart.* Paniculæ racemi primi laterales, cæteri nudi, compoſiti, & decompoſiti; ſpicis albis, julaceis, ſubulatis, longis, nudis. Flores pedunculati, patuli. Stamina 12-16. *Feminæ* Panicula minor; ſpicarum axibus villoſis. Flores erecti, patuli. Stigmata demum rubra. Capſulæ pendulæ, glabræ, tres, non ſpirales, nitidæ.

Stiptica planta eſt, in Dyſenteria, Hernia, aliisque morbis conſentanea, ubi laxitas nimia & debilitas obſervatur.

2. SPIRÆA foliis pinnatis: foliolis uniformibus. LINN. *H. Cliff.* p. 191. *Fl. Svec.* 404. *Mat. Med.* 239. ſerratis, caule herbaceo, floribus cymoſis. *Spec. plant.* p. 490.

Filipendula foliis longis, anguſtis, extremo trilobato, minimis pinnulis intermixtis. HALL. Helv. p. 307.

Habitat

Habitat circa *Vipaccum*, *Planinam*, *Krainburgum*.

Calyx reflexus. Stamina ad 40. Germina usque 10. Siliculæ erectæ, hirsutæ.

Utilitas Medica, quæ prioris.

3. SPIRÆA foliis pinnatis: impari majore lobato, floribus cymosis. LINN. *Fl. Lapp.* 201. *H. Cliff.* p. 191. *Fl. Suec.* 405. *Mat. Med.* 241. ROYEN. *Lugdb.* p. 277.

Filipendula foliis ex ovalibus acutis, extremo trilobato, minimis pinnulis intermixtis. HALL. Helv. p. 306.

Filipendula. MATH. TABERNEM. DODON. BOEHM. &c.

Habitat prope fossas.

Inflorescentia fere quæ in Junco villoso. Caulis angulatus. Rami teretes. Foliorum pinnatorum paria tria; primo minimo; extremo trilobo, maximo; cæteris oblongis, serratis; minimis pinnulis interjectis. Calyx albus, reflexus. Petala ovata. Stamina ad 24. Styli & germina 5-7.

THALICTRUM.

TOURNEF. *Inst. p.* 270. *Tab.* 143.

Calyx nullus. Petala fugacia, æqualia, sæpe quatuor. Stamina multa. Styli multi. Siliquæ monospermæ.

1. THALICTRUM caule folioso sulcato, panicula multiplici erecta. LINN. *H. Cliff.* p. 226. *Fl. Suec.* 453. *Spec. plant.* p. 546. ROYEN. *Lugdb.* p. 485. HALL. *Helv.* p. 306. DALIB. *Paris.* p. 162. BOEHM. *Lipsi.* 307.

Thalictrum pratense. LINN. Fl. Lapp. 224.

Habitat in umbrosis udis locis.

Folia supradecomposita; pinnis subrotundis, ternatis, subcrenatis, inferne venosis. Bracteæ hemi-

sphæricæ. Panicula terminalis. Petala concava, stylorum longitudine, postice dilute violacea. Stamina 70-90. antheris luteo-virescentibus. Germina pedicellata.

2. THALICTRUM fructibus pendulis triangularibus rectis, caule tereti. LINN. *Spec. plant.* p. 547.

Thalictrum seminibus triangularibus pendulis, stipulis caulinis. LINN. H. Cliff. p. 226. Fl. Svec. 452. ROYEN. Lugdb. p. 285. HALL. Helv. p. 309.

Thalictrum alpinum, Aquilegiæ foliis, florum staminibus purpurascentibus. TOURNEF. Inst. p. 270. SEGUIER. Veron. 1. p. 475.

Habitat in collibus, siccis, sterilibus, asperis.

Rami ultimi teretes. Stamini ad 70. filamentis purpureis; antheris flavo-rubris. Germina aquose lutea. Siliculæ alato-triquetræ; angulo quarto in imos angulos eminente.

3. THALICTRUM foliis lanceolato-linearibus integerrimis. LINN. *H. Cliff.* p. 226. *Spec. plant.* p. 546. ROYEN. *Lugdb.* p. 487. HALL. *Helv.* p. 308.

Habitat ad sepes circa *Kranburgum*.

Caulis angulatus. Folia duplicato-pinnata; pinnis lanceolatis, planis, integerrimis, superne nitidis, inferne nervosis. Stamina ad 14. alba. Germina usque septem, sessilia.

4. THALICTRUM foliis decompositis: pinnis sessilibus linearibus sulcatis rugosis: marginibus reflexis.

Thalictrum caule folioso, foliis angustissimis, non dentatis. HALL. Helv. p. 307.

Habitat in macilentis aridisque locis.

Omnino est Thalictrum angustissimo folio BAUHIN. *Prodr.* p 146. optima, quæ etiam apud Tabernemontanum extat, icone expressum, quod Cl. LINNÆVS cum priore conjunxit, diversum tamen statura cubi-

cubitali; angulis in caule pluribus & rubris; foliis uncialibus, fere Rorismarini, ſuperne rugoſis, ſulco medio exaratis, oris revolutis; Panicula denſi, brevi; Pedunculis ſtaminum longitudinem ſuperantibus. Staminibus 13. Germinibus plerumque quatuor.

ISOPYRUM.

LINN. *Gen. plant.* 621.

Calyx nullus. Petala quinque æqualia. Nectaria totidem aurjculata, pedicellata. Stamina multa. Styli duo aut tres. Siliculæ totidem monoſpermæ.

1. ISOPYRUM ſtipulis ovatis, petalis obtuſis. LINN. *Spec. plant.* p. 557.

Habitat in cavis viarum ſemitis inter Corylos, umbroſis in locis, verno tempore.

Radix repens, faſciculos radicularum conicarum & fibroſarum producit, unde oritur caulis & folium decompoſitum; pinnulis lobatis. Caulis erectus, teres, ſemipedalis. Folia triloba; lobis glabris, venoſis, ſemibifidis, inæqualibus, crenatis: ſupremo ſemitrifido. Albæ glandulæ lobos terminant. Stipulæ ovatæ, acutæ, ſimplices; marginibus albis. Petala elliptica, non acuta, alba, patentia, inferne cum aliqua rubedine. Pedunculi nudi, tenues, ſolitarii. Nectaria quinque & plura, auriculæ animalis forma, breviter pedicellata, petalis breviora. Stamina 30-40. filamentis albis, ad baſi leniter tuberoſis; antheris flavis. Germina bina, ſtaminum longitudine. Stigmata ſimplicia, virentia, curvula. Siliculæ duæ, raro tres, monoſpermæ. Semen oblongum.

HELLEBORUS.

TOURNEF. *Inſt. p.* 271. *Tab.* 144.

Corolla pentapetala, perſiſtens A. B. pro calyce ſumpta a GEMBRO RAIO, VOLKAMERO, HALLERO, LUD-

Ludwigio. Nectaria tubulosa, quasi bilabiata C. Capsulæ polyspermæ H.

1. Helleborus nectariis obconicis filamentis staminum triplo brevioribus.

Helleborus caule multifloro folioso, foliis digitatis. Linn. Spec. plant. p. 558.

Helleborus vaginis foliaceis digitatis, flore virente. Hall. Helv. p. 317.

Helleborus caule æquali folioso, foliis radicalibus caulem tandem superantibus. Linn. H. Cliff. p. 227. H. Upsal. p. 158. Royen. Lugdb. p. 484.

Habitat in apricis sterilibus *Carniolæ* frequens, sed nullibi frequentior quam in *Styria*.

Folia aspera, serrata, venosa, virentia, acuminata. Caulis diflorus, dichotomus; vaginis foliaceis digitatis. Flos virens, minor; pedunculis subangulatis. Nectaria brevia; pedunculis anthera brevioribus, recta fere excisa. Styli ad futuras siliquarum & germinum perpendiculares.

2. Helleborus nectariis obsubulatis filamentis staminum duplo brevioribus.

Helleborus scapo subunifloro subnudo, foliis pedatis. Linn. H. Upsal. p. 157. Mat. Med. 273. Spec. plant. p. 558. Royen. Lugdb. p. 484.

Helleborus scapo bifloro subnudo, pedunculo communi bipartito. Linn. H. Cliff. p. 227.

Habitat in locis asperioribus.

Differt a priore, caule unifloro, supra medium sæpius maculoso; uno aliove folio cavo, ovato, simplici instructo infra florem. Foliis radicalibus, crassis, levibus, obtusis, obsolete crenatis. Flore ampliore, non viridi. Nectariis angustis, longis, oblique truncatis. Stylis reflexis.

Varietates autem ita se habent. 1. *Flos albus*, Nectaria gerit, una cum antheris flavo colore tincta;

Ger-

Germina vero cum bracteis & caule purpuraſcentia. 2. *Flos ruber*, fundo virente; Nectariis & ſtaminibus flavis; Germinibus ſubrubris. 3. *Flos roſeus*, venulis albis pictus, prioris filius; germinibus ſubrubris, non raro intortis. *Flos ex albo & rubro varius*, fundo viridi; germinibus circa ſtylos tantum purpuraſcentibus.

Hellebori ſui radices inter acerrima purgantia numeravit HIPPOCRATES quoties de iis meminit. Eandem efficaciam ineſſe noſtris, quotidiana fere experientia demonſtrat; ut mirum ſit catharcticam Hellebori efficaciam a LINNÆO in dubium revocari. Doſis pulveris radicis in noſtris hominibus experta eſt a granis 20. ad 40. extracti cum aqua ſimplici decem grana ſufficiunt, ſi vero ſulphureis acidiſve menſtruis paratum fuerit, largiore doſi dandum eſt & alvi tormina facilius inducit. Clyſter ex decocto radicis unciæ ſemis, in excitandis apoplecticis præſtat colocynthidi aliisque. Boves ſuos ſanant Ruſtici intruſo ſub vulnerata cute radicis recentis fruſtulo, unde magnus tumor, & aſſiduus icoris effluxus oritur. Sed aliud quid ineſt Helleboro ſingulare penitus & vere noxium. Dedi Puellæ vegetæ & nullo morbo affectæ triginta grana pulveriſatæ radicis; hinc alvus absque torminibus bis unice mota eſt; acceſſit vero torpor quidam artuum & inſueta rigiditas congruis tamen auxiliis debellata. An hæc vis eſt illa hellebori convulſionem quoque faciens ab HIPPOCRATE jam dudum obſervata?

TROLLIUS.

GESNERI. RUPPII.

LINN. *Gen. plant.* p. 620.

Calyx nullus. Corolla polypetala, decidua, magnitudine inæqualia. Nectaria plana, lingulata.

Siliquæ

Siliquæ in capitulum collectæ. Semina subrotunda.

1. TROLLIUS corollis conniventibus, nectariis longitudine staminum. LINN. *Spec. plant.* p. 556.

Helleboro Ranunculus. BOERHAAV. LUDWIG, BOEHM. Lipſ. 549.

Helleborus uniflorus, petalis & ſiliquis plurimis. HALL. Helv. p. 318.

Helleborus foliis angulatis multifidis, flore globoſo. LINN. H. Cliff. p. 227. ROYEN. Lugdb. p. 484.

Helleborus caule ſimplici, flore pediculato. LINN. Fl. Lapp. p. 226.

Helleborus niger, Ranunculi folio, flore globoſo, majori. TOURNEF. Inſt. p. 272. SCHEUCHZ. It. 1. p. 39.

Habitat in pratis montanis.

Facies *Ranunculi* & fructus, ſed Calyx nullus. Petala vero & figura Nectariorum ab *Helleboro* diverſiſſima.

VERATRUM.

TOURNEF. *Inſt. p.* 272. 273. *Tab.* 145.

In eadem planta ſunt *Flores* 1. *hermaphroditi*, calyce nullo; petalis ſenis perſiſtentibus; ſtaminibus ſex; ſiliculis tribus, polyſpermis; ſeminibus compreſſis, alatis. 2. *Maſculi* præterviſi magno TOURNEFORTIO, rudi germinis imitamento donati. His addit *Femineos* Cl. HALLERVS, quibus filamenta ſunt equidem, ſed antheris deſtituta. En novum ſexus in plantis, quæ plurimos flores gerunt, variantis argumentum.

1. VERATRUM racemo ſupradecompoſito, corollis erectis. LINN. *Spec. plant.* p. 1044.

Veratrum caule ramoſo. LINN. Mat. Med. 471.

Vera-

Veratrum pedunculis corolla erecta patente brevioribus. GMELIN. Sibir. 1. p. 75.

Veratrum flore subviridi. TOURNEF. Inst. p. 273. SEGUIER. veron. 1. p. 506. qui sexum non vidit.

Habitat in montanis herbidis & sterilibus; *Tschmericka* dictum.

Caulis paniculatus; panicula contracta. Calyx serrulatus, virens, erectus. Pedunculi glabri. Flores fertiles in racemo terminali, steriles plerumque in lateralibus. Capsulæ pedunculo longior.

Helleborus albus a Veteribus summopere celebratus in Melancholiæ curatione jam tempore experientissimi ALEXANDRI TRALLIANI in desuetudinem abiit eousque, ut nostro ævo rarissime aut nunquam prorsus adhibeatur. Veratri in suis scriptis sæpe meminit HIPPOCRATES, sed helleborum intelligit quoties vim purgantem eidem attribuit. Non ergo Veretrorum & Helleborus eadem planta est, ut perperam in Commentariis ad HIPPOCRAT. posuit MARINELLVS.

2. VERATRUM racemo composito, corollis patentissimis. LINN. *Spec. plant.* p 1044.

Veratrum pedunculis corolla patentissima longioribus. GMELIN. 1. p. 76.

Veratrum flore atro-rubente. TOURNEF. Inst. p. 273. SEGUIER. Veron. 1. p. 507. HALL. Helv. p. 778.

Habitat circa *Idriam* in *Struk* prope serram.

Planta, quam coram habeo, habet humanam altitudinem. Folia sexdecim transversos digitos longa, novem & decem lata; hæc sensim decrescunt, lanceolata, & tandem lanceolato-linearia redduntur. Caulis teres, lanuginosus. Racemi laterales, patuli, simplices simipedales, lanuginosi. Pedunculi horizontaliter patentes, lanuginosi, flore nihilo breviores. Corollæ

segmen-

segmenta ovata, integerrima, subtus virescentia, superne obscure rubra, patentissima. Flores omnes fertiles in racemo terminali, pedalique; pauci in racemis primis, nulli in superioribus. Capsulæ leniter sursum flexæ, pedunculo breviores.

ALISMA.

LINN. *Gen. plant.* 418.

Calyx triphyllus, persistens. Petala tria. Stamina sex. Siliculæ multæ.

1. ALISMA foliis ovatis acutis, fructibus obtuse trigonis. LINN. *Spec. plant.* p. 342.

Damasonium panicula verticillata, petiolis ramosis, siliquis monospermis. HALL. Helv. p. 300.

Alisma fructu obtuso trigono. LINN. Fl. Lapp. 138. H. Cliff. p. 141. Fl. Svec. 300. ROYEN. Lugdb. p. 46. BOEHM. Lipsi. 252.

Damasonium ampliore folio, paniculatum. VAILLANT. Paris. p. 46.

Ranunculus palustris, Plantaginis folio ampliore. TOURNEF. Inst. p. 292.

Habitat circa Lacus & Fluvios.

Stamina e quolibet ungue petali duo. Styli duodecim. Siliculæ totidem monospermæ.

In *Lacu Zirchnicensi* angustifolium reperi, radice tuberoso-sphærica; foliis plantaginis lanceolatæ, radicalibus, quinquenerviis; scapo subterete; petalis rubris, majoribus, emarginatis: unquibus luteis; staminum antheris virescentibus; siliculis sexdecim. An alia species?

SAGITTARIA.

LINN. *Gen. plant.* 946.

Sextu differt ab *Alismate*, nempe *floribus masculis* superioribus, polyantheris; *femineis* siliculas multas

in

in capitulum hemisphæricum congregantibus. An satis?

1. SAGITTARIA foliis sagittatis acutis. LINN. *Fl. Lapp.* 344. *H. Cliff.* p. 446. *Fl. Suec.* 780. *Spec. plant.* p. 993. HALL. *Helv.* p. 300. DALIB. *Paris.* p. 297. BOEHM. *Lipsi.* 660.

Ranunculus palustris, folio sagittato. TOURNEF. Inst. p. 292.

Habitat in Fossis *agri Labacensis.*

An non melius dici posset *Alisma floribus monoicis, foliis sagittatis acutis?* Naturæ certe non placet ex sexu Genera constituere, ut alibi monui.

BUTOMUS.

LINN. *Gen. plant.* 455.

Involucrum commune sub umbella simplici. Calyx nullus. Petala sex; alterne majora. Stamina novem. Germina & Siliculæ sex.

1. BUTOMUS. LINN. *Fl. Lapp.* 159. *H. Cliff.* p. 155. *Fl. Suec.* 328. *Spec. plant.* p. 372. ROYEN. *Lugdb.* p. 45. HALL. *Helv.* p. 299. BOEHM. *Lipsi.* 254.

Habitat circa *lacum Zirchnicensem.*

Folia radicalia triquetra, spongiosa. Caulis nudus, teres, foliis longior. Umbella terminalis; involucro spathaceo, triphyllo. Pedunculi digiti longitudine, subrubri, usque 20. involucro monophyllo. Petala ovata, ex albo-rubra. Stamina petalis breviora; filamentis albis, teretiusculis; antheris rubris: polline flavo. Germina rubra; stigmatibus canaliculatis, bifidis. Siliquæ interius & longitudinaliter dehiscentes. Semina exigua, plurima.

CALTHA.

LINN. *Gen. plant.* 623.

Calyx nullus. Petala quinque. Stamina multa. Siliquæ radiatim patulæ, acuminatæ.

1. Caltha. Linn. *Fl. Lapp.* 227. *H. Cliff.* p. 228. *Fl. Svec.* 473. *Spec. plant.* p. 558. Royen. *Lugdb.* 484. Dalib. *Paris* p. 169.

Populago. Dillen. Syn. 3. p. 272. Hall. Helv. p. 319.

Populago flore majori. Tournef. Inst. p. 273. Seguier. Veron. 1. p. 481.

Habitat circa Rivulos in pratis, & in aquosis passim.

Differt a Ranunculo calycis defectu, ab Helleboro nectariorum absentia, ab utroque denuo staminibus duorum ordinum; exteriora enim duplo longiora sunt, claveformia; antheris compressis; interiora vero minora sunt, & antheris latioribus instructa.

RANUNCULUS.

Linn. *Gen. plant.* 619.

Ranunculi nota essentialis consistit in petalis ad unguem interius excavatis. Linn. *Syst. Nat. Obs.* 20. *in regnum veget.* vel squama nectarifera ibidem posita Ludwig. *Defin. gen.* 623. reliquæ partes fructificationis omnes ludunt.

1. Ranunculus foliis linearibus, caule repente. Linn. *Fl. Lapp.* 236. Tab. 3. fig. 5. *Fl. Svec.* 459. *Spec. plant.* 549.

Habitat in fossis *agri Labacensis.*

Caulis compressus, glaber, repens. Folia integerrima, linearia, opposita. Pedunculi laterales, uniflori, nudi. Calyx patulus, glaber, petalis duplo minor. Petala flava, elliptica, integerrima; squama nectarifera vix manifesta. Stamina 25-30. calyce breviora. Germina usque 10 Styli subnigri. Siliculæ in capitulum subrotundum collectæ.

2. Ranunculus foliis lanceolatis, caule erecto. Linn. *H. Cliff.* p. 228. *Fl. Svec.* 457. *Spec. plant.* p. 549.

p. 549. Royen. *Lugdb.* p. 489. Dalib. *Paris.* p. 163. Boehm. *Lipſ.* 445.

Ranunculus erectus, foliis longis, ſeſſilibus, capitulo ſquamulis diſtincto. Hall. Helv. p. 322.

Habitat cum priore.

Caulis erectus. Folia ſeſſilia. Calycina folia fuſcis lineis notata. Petala ſubrotunda. Stamina 90-100.

3. Ranunculus foliis cordatis angulatis petiolatis. Linn. *H. Cliff.* p. 228. *Fl. Svec.* 460. *Mat. Med.* 274. *Spec. plant.* p. 550. Royen. *Lugdb.* p. 490. Dalib. *Paris.* p. 167.

Ficaria. Dillen. Giſſ. p. 39. Rupp. p. 159. Hall. Helv. p. 321. Boehm. Lipſ. 546.

Ranunculus vernus rotundifolius minor. Tournef. Inſt. p. 286. Seguier. Veron. 1. p. 484.

Habitat verno tempore in hortis, & agris.

Caulis procumbens. Folia ſimplicia, cordata, angulato-crenata, ſplendentia, glabra. Calyx triphyllus. Petala 8-12. interdiu vigilantia. Stamina ad 36. antheris filamento paulo brevioribus. Squama ad unguem petali cujusque conſpicua.

Mitiſſimus eſt inter fratres & ſoli natalis indole ita mutatus, ut oleraceam fere naturam aquiſiverit; Retinet tamen adhuc acre Generis ingenium quod aquam ex foliis deſtillatam ſinapis odore infecit Geoffroy *Mat. Med.* & ſpiritum acrem fundit. Incolæ noſtri in acetariis utuntur, Medici vero ad hæmorrhoides.

4. Ranunculus foliis trilobis: lobis acutis, caule unifloro.

Ranunculus foliis tripartitis, lobis obtuſis, caule ſubnudo unifloro. Linn. Fl. Svec. 461. Spec. plant. p. 553.

Ranunculus caule aphyllo, unifloro, foliis rotundis, ſemitrifidis. Hall. Helv. p. 326.

Ranunculus caule simplici unifloro, foliis tripartitis. Linn. Fl. Lapp. 231. Tab. 3. fig. 4.

Habitat in alpibus circa *Krainburg*.

Non sine dubio hæc synonyma assumo, quæ nostram stirpem non omnino referunt, cui caulis bifolius, sulcatus; foliolis simplicibus. Folia radicalia neque rotunda, neque subcordata, neque semitrifida, sed in tres lobos ad nervum usque disecta; summo trifido; lateralibus bifidis: lobulo superiore trifido, inferiore bifido; omnibus acutis, glabris, subsplendentibus. Calyx albus, unicus, patulus; macula flava notatus in quolibet foliolo, petalis nihilo brevior. Petala alba, obiter emarginata.

5. Ranunculus foliis trilobis hispidis, calycibus patulis, caule multifloro tereti.

Ranunculus montanus, subhirsutus, latifolius Bauhin. Prodr. p. 96.

Habitat in udis locis circa *Idriam*, prope aqueductus.

Diversissimum esse ab *acri pratensi* docent caulis fistulosus; folia perpetuo triloba, ampla, hirsuta: lobis incisis, serratis; calyx staminibus nihilo longior; stamina ad 70.

6. Ranunculus foliis tripartito-multifidis, summis linearibus, calycibus patulis, pedunculis teretibus. Linn. *Fl. Suec.* 466. *Spec. plant.* 554. Dalib. *Paris.* p. 164.

Ranunculus caule erecto, multifloro, folio pentagono, lobis sessilibus. Hall. Helv p. 324.

Ranunculus foliis peltatis quinqueangularibus multipartitis laciniis linearibus, caule multifloro. Linn. H. Cliff. p. 231. Royen. Lugdb. p. 492.

Habitat circa rivulos, & paludes.

Laciniæ foliorum glabræ. Petala subcordata; macula nulla ad unguem notata. Stamina ad 90. filamentis calyce brevioribus.

Acre

Acre esse & vesicas adplicatum excitare certum est, sed vim hanc a putridis effluviis stagnantium aquarum, aut corruptis terræ partibus unice oriri, FRIDERICI HOFFMANNI conjectura est, *de meth. vires plant. indag.* nullis experimentis demonstrata.

7. RANUNCULUS foliis omnibus quinatis lanceolatis inciso-serratis. LINN. *H. Cliff.* p. 229. *H. Upsal.* p. 156. *Spec. plant.* p. 551. ROYEN. *Lugdb.* p. 490. HALL. *Helv.* p. 325.

Habitat in *Mont. Ortea, Anas*, aliisque.

Caulis teres, fistulosus, glaber, ramosus, multiflorus. Foliorum lobi oblongi, dentati. Flores corymbosi. Calyx patens, staminum longitudine. Petala alba, ovata; squama nectarifera lingulata. Stamina flava, ad 90. Styli erecti. Siliquæ in capitulum subrotundum collectæ.

8. RANUNCULUS foliis compositis, calycibus patulis, stolonibus repentibus. LINN. *Fl. Suec.* 468. *Spec. plant.* p. 554.

Ranunculus caule ex geniculis radicato, foliorum lobis petiolatis. HALL. Helv. p. 324. BOEHM. Lipsi. 439.

Ranunculus foliis ternatis, foliolis petiolatis trifidis: medio productiore, caule multifloro. LINN. H. Cliff. p. 230. ROYEN. Lugdb. p. 491.

Habitat in hortis & agris.

Folia radicalia obtuse trigona, sulco medio, basi rubra amplexante. Caulis subtriqueter, ramosus, foliosus, multiflorus; foliorum lobi tres, trilobi: lobulis incisis, dentatis, nitidis, glabris. Pedunculi sulcati. Petala subrotunda. Stolones repentes, teretes, radicati, folioli.

9. RANUNCULUS foliis compositis, calycibus retroflexis, pedunculis sulcatis, caule erecto. LINN. *Fl. Suec.* 469. *Spec. plant.* p. 554. DALIB. *Paris.* p. 165.

Ranunculus radice simplici subglobosa. Linn. H. Cliff p. 230. Royen. Lugdb. p. 491. Hall. Helv. 323. Boehm. Lipf. 438.

Habitat in pratis & collibus paſſim.

Radix globoſa. Hirſuties ſingularis. Folia radicalia triloba; lobo medio trilobo, crenato; lateralibus ſemibifidis. Calyx reflexus. Squama nectarifera emarginata. Stamina ad 80.

10. Ranunculus foliis ſubmerſis capillaceis, emerſis peltatis. Linn. *Spec. plant.* p. 556.

Habitat in aquis.

Pedunculi ſolitarii, nudi, petiolo oppoſiti, longiores; bracteis oppoſitis, latis, ſimplicibus. Calycis foliola erecta, ovata. Petala alba, ſubrotunda, integerrima; unguibus lineatis, flavis. Stamina ad 20.

Hoc nomine Cl. Linnæus complexus eſt Ordinem ſecundum Ranunculorum Halleri, poſtquam Ludwigius annotavit, folia a fluento aquarum plus minus agitata & ſciſſa, ab unica ſpecie naſci poſſe.

11. Banunculus foliis ſuperioribus decompoſitis linearibus, capſulis aculeatis. Linn. *H. Cliff.* p. 229. *Fl. Svec.* 470. *Spec. plant.* p. 555. Royen. *Lugdb.* p. 491. Hall. *Helv.* p. 323. Dalib. *Paris.* p. 166. Boehm. *Lipſ.* 443.

Habiter in arvis, annuus.

Capſulæ echinatæ, nuda ſemina referentes, ut longe certior a *Multiſiliquis* ad *Gymnopolyſpermas*, in ordine naturali, tranſitus fieri poſſit.

CLASSIS XXXII.
GYMNOPOLYSPERMÆ.

Differentia harum ſtirpium a *Multiſiliquis*, conſiſtit in ſeminibus nudis & aggregatis.

HEPA-

HEPATICA.

LINN. *Gen. plant.* 614.

Differt ab *Anemone* calyce trifolio, thalamo pappoſo.

1. HEPATICA. LINN. *H. Cliff.* p. 223. *Fl. Svec.* 445. *Mat. Med.* 277. ROYEN. *Lugdb.* p. 487.

Anemone flore trilobis integerrimis. LINN Spec. plant. p. 538. a quo plura alia mutanda ſunt genera, antequam *Hepatica* ad *Anemones* referatur.

Ranunculus tridentatus vernus. TOURNEF. Inſt. p. 286.

Hepatica trifolia. SEGUIER. Veron. 1. p. 511.

Habitat in ſylvis, verno tempore, *Tetenek* dicta.

Calyx perſiſtens, fovea aut ſquama nulla ad unguem petalorum, ſemina denique nuda docent *Hepaticam* cum *Ranunculo* conjungi non poſſe. Sapor & odor nullus utilitatem medicam vix ullam ſpondent, verumtamen iners & terreum illud quo abundant folia, adſtringentem vim poſſident nec inutilem in corrigenda laxitate nimia ſolidorum.

ANEMONE.

HALL. *Helv. p.* 329.

Eſſentiam conſtituunt terna ad caulem folia TOURNEF. *Tab.* 147. M. N. nec alius præter ea calyx. HALL. *ibid.*

1. ANEMONE ſeminibus acutis, petalis ellipticis, foliis ſerratis.

Anemone ſemine lævi, petalis ſenis ellipticis. HALL. Helv. p. 330. BOEHM. Lipſ. 548.

Anemone ſeminibus acutis, foliolis inciſis, caule uniflore. LINN. H. Cliff. p. 224. Fl. Svec. 450.

Spec. plant. p. 541. Royen. Lugdb. p. 488. Dalib. Paris. p. 161.

Anemonoides flore albo & ex purpura rubente. Boerh. 1. p. 56.

Habitat in pratis humidioribus.

Folia ſerrata, non decurrentia. Pedunculus uniflorus, baſi angulatus. Petala ſex, alba; quorum tria majora & exteriora ſubtus purpurea ſunt. Stamina ad 40. Styli breves, quaſi recti. Semina villoſa. Receptaculum ſubrotundum, læve.

2. Anemone ſeminibus acutis, petalis ſubrotundis, foliis crenatis.

Anemone ſemine lævi, petalis quinis, ſubrotundis, luteis. Hall. Helv. p. 329. Boehm. Lipſ. 547.

Anemone ſeminibus acutis, foliolis inciſis, petalis ſubrotundis, caule ſubbifloro. Linn. H. Cliff. p. 125. Fl. Svec. 451. Spec. plant. p. 541. Royen. Lugdb. p. 488. Dalib. Paris. p. 161.

Anemonoides flore luteo, bino & terno. Boerh. 1. p. 36.

Habitat in pratis ſiccioribus, aliquando etiam cum priore.

Folia crenata, per petiolum decurrentia. Pedunculus ſæpe biflorus. Petala flava. Stamina ad 60. Styli reflexi, longiores.

8. Anemone ſeminibus caudatis, petalis lanceolatis rectis, foliis bipinnatis.

Anemone pedunculo involucrato, petalis rectis, foliis bipinnatis. Linn. Spec. plant. p. 539.

Anemone tubis caudatis, imis foliis duplicato-pinnatis, multifidis, ſuperioribus anguſtiſſimis. Hall. Helv. p. 333.

Pulſatilla foliis decompoſitis pinnatis, flore nutante, limbo erecto. Linn. H. Cliff. p. 223. Fl. Svec. 446. Mat. Med. 276. Royen. Lugdb. p. 487. Dalib. Paris. p. 160.

Habi-

Habitat in montanis *Carniolæ*, non rara.

Acerrima planta est & corrosiva, interne nunquam adhibenda.

CLEMATIS.

LINN. *Gen. plant.* 616.

Calyx nullus. Corolla sæpius tetrapetala. Antheræ adnatæ lateribus filamentorum.

1. CLEMATIS foliis pinnatis: foliolis ovato-lanceolatis integerrimis, caule erecto. LINN. *H. Cliff.* p. 225. *H. Upsal.* p. 155. *Spec. plant.* p. 544. ROYEN. *Lugdb.* p. 486.

Habitat circa *Idriam* & alibi in sterilibus.

Costæ horizontaliter patentes, pinnæ perpendiculares. Racemi nudi. Petalorum margo villosus, inferna facies trinervia.

2. CLEMATIS foliis pinnatis: foliolis cordatis scandentibus. LINN. *H. Cliff.* p. 225. *Spec. plant.* p. 544. ROYEN. *Lugdb.* p. 486. HALL. *Helv.* p. 334. *Clematis sylvestris, latifolia.* TOURNEF. Inst. p. 293.

Habitat ad sepes.

Caulis scandens. Pedunculus sub petiolo. Flores paniculati. Petala crassa, hirsuta. Stamina 60-70.

3. CLEMATIS foliis compositis decompositisque: foliolis ovatis integerrimis. LINN. *H. Cliff.* p. 225. *Spec. plant.* p. 543. ROEEN. *Lugdb.* p. 486.

Habitat in elatioribus saxosisque locis.

Corolla cœrulea.

CLASSIS XXXIII.
CALYCIFLORÆ.

Petala æqualia & stamina calyci inserta; Fructus constat vel thalamo polyspermo, vel calyce seminifero, vel fructu carnoso aut succulento, vel denique

nique capsula. Ergo inter *Calycifloras* numerabo etiam *Staphyllæam*, *Fraxinum*, *Rhamnum*, aliasque plantas quæ ab aliis scriptoribus diversis Classibus adjunctæ fuerunt, solamque *Apiræam* pluribus siliculis præditam separavi.

I. *Seminibus nudis.*

DRYAS.

LINN. *Gen. plant.* 562.

Differt a *Caryophyllata* cum qua conjunxit TOURNEFORTIVS, segmentis calycinis æqualibus octo, an satis?

1. DRYAS octopetala, foliis simplicibus. LINN. *Spec. plant.* p. 501.

Dryas. LINN. Fl. Lapp. 215. H. Cliff. p. 195. Fl. Svec. 426. ROYEN. Lugdb. p. 279. HALL. Helv. p. 335. qui jam ante LINNÆVM a *Caryophyllatis* separatam sub *Cervariæ* nomine proposuit, quod sibi magis placere ostendit in *Opusc. bot. p.* 190.

Habitat in Alpibus *Carniolæ superioris.*

Caules procumbentes, perennes, flexuosi ramosi. Folia oblongo-cordata, inciso-serrata, superne nitida, subtus tomentosa; petiolis villosis, e bractea bicorni natis. Pedunculus teres, nudus, villosus; villis modo simplicibus, modo vero capitatis. Calyx octofidus, patens, villosus. Petala octo, alba, patentia, ovata, integra, calyce longiora. Stamina ultra 100. lutea, erecta, subulata, petalis breviora. Styli plumosi.

GEUM.

LINN. *Gen. plant.* p. 561.

Calyx decemfidus; laciniis alternis brevioribus ut in *Potentilla*, sed semina caudata & pilosa.

1. GEUM

1. GEUM fructu globoso calycibus insidente, aristis uncinatis nudis caudatis.

Geum floribus erectis, seminibus uncinatis nudis, foliis lyratis. LINN. Spec. plant. p. 501.

Caryophyllata floribus erectis, seminibus uncinatis. BOEHM. Lipsi. 433.

Caryophyllata pinnis paucioribus, rhomboideis, tubarum fine uncinato. HALL. Helv. p. 335.

Geum floribus erectis, fructu globoso, seminum cauda uncinata. LINN. H. Cliff. p. 195. Mat. Med. 249. Fl. Svec. 423. Synonyma hæc conveniunt etiam sequenti.

Habitat ad sepes, & in sterilibus, *Schegnan Koren* dictum.

Caulis ramosus, multiflorus. Pinnæ ultimæ lobi subrotundi, crenati; pinnulæ aliæ subrotundæ. Capitula calyci insidentia. Seminum caudæ unco viridi terminatæ; e cujus fine cauda rubra, quasi lunata, basi pilosa oritur.

In morbis omnibus ubi nimiæ excretiones cohærendæ sunt, & solida firmari debent, radix recens aut pulverisata, egregie prodest. Triginta & quadraginta grana pulverisatæ radicis, in Dysenteriis, sub finem data plurimis profuerunt.

2. GEUM fructu globoso e calyce pedunculato, aristis uncinatis nudis acaudatis.

Habitat in pratis circa Templum in *Voiska*.

Caulis simplex, uniflorus. Folii pinna extrema lobata: lobis acutis, dentatis; pinnæ reliquæ lanceolatæ. Capitulum ut in priore, sed pedunculo fere unciali, villoso, e centro calycis prodeunte donatum. Semina pariter villosa, villoso etiam receptaculo adhærent, sed aristæ in simplicem, & nulla cauda instructum uncum desinunt. Capitulum hoc pinxit TOURNEF. *Tab.* 151. F. semen vero G. H. sed conjungi non debet cum priore.

3. GEUM

3. Geum floribus nutantibus, fructu oblongo, aristis plumosis. Linn. *Spec. plant.* p. 501.

Caryophyllata floribus nutantibus, seminibus plumosis. Boehm. Lipſ. 432.

Caryophyllia pinnis frequentioribus, extrema semitrifida, flore connivente, nutante. Hall. Helv. p. 336.

